Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

IMAGINATIONIS IN MENTEM CORPUSQUE IMPERIO,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU

MODERANTE

L. LUDOVICO CHRIST. CRELLIO,

PHILOSOPH. PRIMÆ AC RATIONALIS P. P.

MINORIS PRINCIPP. COLLEGII COLLEGA, ET SCHOLÆ

NICOL. RECTORE,

Patrono atque Præceptore ſuo

devoto honoris cultu proſequendo,

D. Apr. A. R. S. MDCCXVI.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR

JOHANNES GEORGIUS SCHNELL,

LINDAVIA-SVEVUS.

LIPSIÆ,

LITTERIS ANDR. MART. SCHEDII.

12

XXIV.

VIRIS
PERQVAM GENEROSIS, MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS, MAXIME STRENUIS, AMPLISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS, ATQVE CONSULTISSIMIS,

DOMINIS
CONSVLIBVS
ATQVE INTEGRO
PATRVM CONSCRIPTO-RVM

CORPORI
In Inclyta & Libera S. R. I. Republic.
Lindavienſi

Dominis Suis admodum Gratioſis, Patronis atque Mecænatibus Optimis, Evergetis devota ætatem mente Venerandis

Specimen hocce Philoſophicum ea, qua par eſt, obſervantia atque animi ſubmiſſione conſecrat

AUCTOR,

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58709/2

PROOEMIUM.

CONſilium intra pectus agitanti mihi, quonam potiſſimum argumento perſequendo, cum ſpecimen aliquod ſtudiorum Academicorum in vulgus a me edi, & rerum mearum ſtatus, & eorum, quorum a benignitate atque conſiliis pendebam, auctoritas ſuo quaſi jure efflagitaret, ingenii vires periclitarer, præ ceteris arriſit illud, quo *imperium* ſeu *vires phantaſiæ in mentem corpusque* expenduntur. Namque hujus materiæ tractatione progreſſuum in literarum ſtudiis effectorum commodiſſime rationem reddi poſſe, intelligebam; præſertim quia a nemine hactenus, quod ſciam, illa ex inſtituto eſt illuſtrata. Equidem *Thomas Fienus*, Medicinae olim apud Lovanienſes Profeſſor, integrum, *de viribus imaginationis* inſcriptum, volumen publici fecit juris. Verum enim vero nonniſi quaſdam ejus in corporis nonnullos motus, imprimis vero in formationem fœtus, utero concluſi materno, vires ab eo explicitas, ipſa voluminis illius inſpectio quemvis edocebit. Unde etiam pateſcet, quanta ſit inter illius et noſtrum inſtitutum diſtantia. Sunt quoque, qui exemplorum, argumento huic lucem affundentium, haud ſpernendam congeſſerunt copiam. Sed dogmatice, non hiſtorice hac de re diſſerere, certum nobis eſt. Nihil itaque, ne quis actum nos agere contendat, verentes, ad rem ipſam B. C. D. nos accingimus.

Thema nunc illuſtrandum.

Thomæ Fieni Liber de Viribus Imaginationis.

Scopus illius.

Inſtituti ratio.

SECTIO PRIMA
DE
NATURA ET INDOLE IMPERII IMAGINATIONIS IN GENERE.

§. I.

Præceptum Antonini,

HAud citra rationem *M. Antoninus* Imperator, ac Philoſophus a) magni nominis, τὸν ὅρον ἢ ὑπογραφὴν τοῦ ὑποπίπτοντος φαντασοῦ, ὥστε αὐτὸ, ὁποῖόν ἐστι κατ' οὐσίαν γυμνὸν ὅλον δι' ὅλων διῃρημένως βλέπειν, ἀεὶ ποιεῖσθαι, id eſt, *Definitionem aut deſcriptionem rei, ſub conſiderationem cadentis, ut illud, quale ſit, ſecundum eſſentiam, nudum & integrum per omnes partes diſtincte videri queat, ſemper fieri* jubet. Quippe cum in accuratam ſingularum objecti cujuscunque partium notitiam pervenire nequeamus, niſi, quid re integra nobis denotetur, perſpectum fuerit. Illud equidem extra controverſiæ aleam poſitum eſſe videtur, cujusvis rei naturam penitius nos, in partes primum conſideratione ſigillatim intenta, introſpicere poſſe. Sed & hoc habeo exploratum, de partibus argumenti cujusdam non poſſe nos judicium ferre; niſi prius qualemcunque de toto cognitionem nobis acquiſiverimus. Mihi igitur, de imperio imaginationis quædam in medium prolaturo, illud imprimis officii incumbere videtur, ut, quid vocibus imperii & imaginationis deſignem, rudi, quod ajunt, Minerva delineare aggrediar, ac primo quidem, quid imperium, tum quid imaginatio ſit, breviter ſtrictimque exponam.

quod explicatur · *& applicatur,*

a) *L. III. §. XI.* τῶν περὶ ἑαυτοῦ.

§. II.

Imperii quid hoc loco notetur voce.

Imperii vocabulum propriam hoc loco non ſuſtinere ſignificationem, ſed a regimine civili ob analogiam aliquam ad imaginationis vires declarandas translatum, facile eſt intellectu. Licet autem tanta ſit inter hæc imperia, imaginationis ſcilicet & civile, diſtantia, ut nec genere a) nec differentia ſpecifica inter ſe quoad ſingulas partes conſpirent; adhibere tamen receptam vocem, quam committere, ut novandarum rerum nimii ſtudii a quoquam poſtulari poſſem, malui.

Ejus comparatio cum civili.

a) Equidem nonnullorum huc ſpectare definitiones videntur, hunc conceptæ in modum: *Imperium civile eſt facultas moralis civitatem gubernandi, ſeu facultas exercendi univerſa civitatis jura.* Verum enim vero non illico ei competit imperium, cui eſt facultas civitatem gubernandi; licet aptitudinem imperandi ineſſe ei, qui ejusmodi facultate inſtructus eſt, nemo inficias temere iverit. Hæc autem aptitudo nondum involvit jus ad regni habenas capeſſendas. Rectius igitur alii imperium civile definiunt eſſe *jus ſummum ac perpetuum, quo perſona publica, cui illud legitime conceſſum, omnia, quæ ad adminiſtrationem reipublicæ pertinent, peragere poteſt.* Vid. & *Caroli Ott. Rechenbergii* definitio, quæ extat in ejus *Inſtit. Juriſpr. Natur.* nuperrime editis L. III. Tit. I. §. 2. Imaginationis autem jus aliquod in reliquas eſſe facultates, nemo facile aſſeruerit. Nec enim a Deo ejusmodi quid ei eſt conceſſum, ſed ab impuriſſimo potius dæmone, quicquid ei competit injuſtæ poteſtatis, inſpiratum. Cum enim profunditatem corruptionis ingentem imperium iſtud involvat, a benigniſſimo Numine nonniſi boni, ac mali, quæ eſt juſtitia ejus, phyſici auctore proficiſci non potuit. Diabolus autem, qui, invidiæ furore agitatus, ſummam humani generis felicitatem iniquo ferebat animo, homine vanæ ſpei oſtentatione decepto, effecit, ut ei imago Dei, ſimulque mentis, cumprimis voluntatis, regimen in omnes reliquas facultates maximam partem eriperetur. Pura ergo mente debilitata, vis imaginandi imperium invaſit, quod tolli in hominibus naturalibus, quamdiu non convertuntur, haud poteſt. Prout igitur Regi, qui regni faſces absque ſubditorum conſenſu uſurpare cœpit, jus in ſubditos nullum eſt; ita nec imaginationi, utpote quæ ſua ſponte regimen iſtud per ſummam injuriam rapuit, non modo non conſentientibus, ſed etiam ſæpiſſime reluctantibus in homine vel ſibi relicto ſana ratione atque voluntate (poſtquam moralis ſaltem peracta eſt emendatio) jus ullum eſſe, perſuaſum nobis eſt. Hinc ergo manifeſtum eſſe videtur, genere omnino differre imaginationis regimen & civile; cum nec imperium civile facultas mera dici, nec phantaſiæ juris quid tribui poſſit.

§. III.

Definitio imaginationis.

Quid imaginationis voce nobis denotetur, ignorare non poteſt, qui vel primis labris præcepta philoſophiæ deguſtavit. Nos igitur hiſce in longum non immorabimur, ſed definitionem duntaxat ſuppeditamus. Scilicet imaginationis nomine innuimus facultatem mentis, qua imagines rerum corporearum ac materialium, per ſenſus externos in cerebrum delatas perſpicere, contemplari, componere, dividere, aliisque modis circa eas verſari poteſt. a)

a) Deſcriptionem potius quam definitionem exhibere voluiſſe cenſendus eſt *Crouſazius dans ſon ſyſteme de Reflexions* P.I.Cap.V. §. 1. ita hac de re verba faciens: *C'eſt une verité reconnüe univerſellement, que les impreſſions des objets ſur les organes des ſens paſſent au cerveau & font naître, quand elles ſe r'ouvrent, ce, que l'on appelle la perception de l'imagination.* Phantaſiæ enim non ea ſolum operatio eſt, quando imagines per ſenſus impreſſæ, jamque in cellulis cerebri deliteſcentes, rurſus protrahuntur, mentisque contemplationi ſubjiciuntur: Sed illa quoque huc ſpectat actio, quando mens circa imagines paulo ante per ſenſus oblatas, adeoque nondum abſconditas, ſenſuum ceſſante repræſentatione, variis modis verſatur. Ipſa autem retentio novaque productio idearum memoriæ debentur, quæ has, voluntate imperante, denuo phantaſiæ attentioris conſiderationis cauſa aperit. Eadem ratione & de *Mureti*, quam in *Orat*. X. proponit, pronunciandum deſcriptione, quæ hiſce concepta eſt verbis: *Phantaſia rerum ſenſu perceptarum formas quasdam, &, ut Græci loquuntur, typos recondit & continet, ac præter ea judicat de quibusdam, de quibus ſenſus exteriores judicare non poſſunt.* Prius enim memoriæ eſſe, nemo non videt. Poſterius autem eſſentiam phantaſiæ non exhaurit. Plura, qui de vi imaginatrice legere voluerit, adire poterit *Joh. Franciſc. Buddei* Inſtitut. Theolog. Mor. P. I. C. I. Sect. V. §. 1. 2. ſeqq. Ejusdem Element. Philoſoph. Inſtrum. P. I. C. I. §. 42. ſeqq. Practic. P. I. C. II. Sect. II. §. IV. ſeqq. Theoret. P. I. C. V. §. 12. Prolixe etiam hoc argumentum præter alios perſecuti ſunt *Petrus Gaſſendus* Oper. Tom. II. Sect. III. L. VIII. *Honoratus Fabri* Tr. de Homine L. III.

Cæſar

Cæſar Cremoninus L. de ſenſibus Tr. 2. L. IV. ſeqq. *Fromondus* de Anima L. III. Cap. VIII. Add. *Johann. Cleric.* Pnevmatol. Sect. I. Cap. IV. §. 1. ſeqq. Quid *Zenoni* hoc de argumento viſum ſit, oſtendit *Diog. Laërtius* L. VII. Segm. 49. ſeqq. *Dan. Georg. Morhofius* quoque nonnullos, ſed ab iis, quos nos huc retulimus, diverſos auctores recenſet Polyhiſt. Tom. II. L. II. P. II. Cap. XLVIII. 7.

§. IV.

Vi huic imaginativæ maximam, reliquarum mentis corporisque operationum munia turbandi, ineſſe poteſtatem, experientia loquitur. Hæc autem poteſtas imperii nomine venire ſolet, eam potiſſimum ob cauſam, quia imperium civile huic utcunque phantaſiæ reſpondet facultati; licet in compluribus capitibus hæc multum inter ſe diſtent. Videlicet ſummorum eſt imperantium, actiones civium ad certas leges formare & dirigere, iisque mandata dare, ad ſalutem reipubl. tendentia. Ne igitur quisquam eorum ſe temere obſequio ſubtrahat, poteſtas illis, immorigeros pœnæ repræſentatione, aut violenta coactione coërcendi, ex communi civium conſenſu eſt conceſſa. Analogi quid quoad poſterius membrum habet imaginationis vis. Sæpenumero enim quandam quaſi neceſſitatem exequendi, quæ bona ac jucunda ipſi videntur, reliquis imponit facultatibus. Regimen quoque politicum nonnunquam abſoluta gaudet in ſubjectos poteſtate; nonnunquam admodum reſtricta. Simile quid huic rei in imperio imaginationis deprehendimus. Dantur enim quædam morborum ſpecies, quibus hominem opprimentibus, imaginativæ facultati non alia reſiſtit. v. g. Furor. In aliis autem ſubjectis aut magis aut minus limitatum eſt hoc imperium; prouti ſcilicet quis majori ſtudio aut minori aut nullo plane in illud infringendum elaboravit. Sunt & ſocietates civiles, in quibus ſummi imperantes decretis ſubditorum quorundam morem in certis caſibus gerere tenentur. Eadem phantaſiam neceſſitas premit. Neque enim omni tempore aut in omnibus ſubjectis ad nutus ejus intentæ ſunt reliquæ facultates. Sed tum præcipue, quando omnes intendit

Exiſtentia imperii imaginationis.

Prolixior ejus cum imperio civili comparatio.

Convenientia.

dit nervos, ac ſubito infirmiores opprimit hoſtes. Ceteroquin enim voluntatis ſubjicitur imperio, ita ut ejusdem pro lubitu circa imagines verſari ſubigatur. Et quemadmodum in regnis quibusdam Rex omnes imperii partes ſibi vindicat, nec ullius ex ſubditorum numero in re ulla conſilia exequi tenetur: In aliis autem quædam regiminis partes a ſubditis exercentur. Ita circa imperium imaginationis eſt obſervandum, hanc ſæpenumero adeo reliquas opprimere facultates, ut æqualem in omnes poteſtatem teneat; Alioquin autem impetum phantaſiæ non eſſe tam vehementem, ut nulla reliquarum facultatum repugnare poſſit; Sed quædam earum ſeſe opponentes, ac licet nonniſi ſumma cum difficultate obluctantes, huic jam pugnæ aſſuetæ, omni adhibita contentione, ſuperiores diſcedere, adeoque nonnulla imperii ſummi munia expedire valeant. Quodſi autem impetu ſufficienti in hoſtem non ruant, jugi huic imponendi facultate carent. De reliquo maxima pars poteſtatis phantaſiæ vi reliquas turbandi facultates continetur; quod in imperio civili ſecus ſe habet. In eo autem vel maxime differt utrumque imperium, quod civile ſit aut ſaltem debeat eſſe legitimum, & ex conſenſu civium collatum. Imaginationis autem imperium eſt illegitimum, quod ſcilicet injuſte occupatum, ſumma injuria uſurpatur. Summi præterea Imperantes ſunt inviolabiles, utpote quorum ſaluti ſanctiſſime eſt invigilandum. Facultatis autem imaginatricis imperium, ubi divinæ repugnat legi, quavis dimicatione ex præſcripto divino violari, frangi atque enervari debet.

Diſcrepantia,

§. V.

Ex hactenus dictis facile intelligitur, quid imperii imaginationis titulo inſigniamus. Nihil enim aliud his vocibus ſignificamus, quam ejusmodi vim phantaſiæ, qua nonnullas mentis facultates, commotionesque animi & corporis, nec non ſenſus ita in poteſtate habet, ut in illa nunc ſummum, cui reſiſti plane nequit, imperium teneat, nunc qualemcunque reſiſtendi facultatem illis relinquat: licet, ubi ſumma contentione non repugnaverint, victoria tamen penes imaginandi vim maneat.

Imperium Imaginationis quid ſit,

SECTIO

SECTIO SECUNDA
DE
NATURA ET INDOLE IMPERII IMAGINATIONIS IN SPECIE.
CAP. I.
DE
IMPERIO IMAGINATIONIS IN INTELLECTUM.
§. I.

QUæ hactenus in genere de imperio imaginationis prolata ſunt, ad ſpecialia eo rectius perſpicienda facem præferent. Hæc ergo, ut ordine procedamus, ita pertractabimus, ut per præcipuas mentis facultates, corporisq; motus eundo, quo pacto in iſta facultas imaginatrix vim ſuam exerat, diſquiramus. Intellectum igitur quod attinet, ejus officia ſæpenumero, impetu in illum imaginationis facto, turbari, a) non eſt, quod dubitemus; cum experientia hoc ipſum atque uſus rerum quemvis edoceat. In affectibus præcipue vehementioribus, a fortiori phantaſiæ commotione procedentibus, illud conſpicere licet; utpote in quibus intellectus oblatarum imaginum nubibus adeo obducitur, ut vera a falſis dignoſcere nequeat. b) Hinc in ſubito v. g. terrore, ab incurſione hoſtium nec opinata, aut incendiis præter omnem expectationem relatis, originem trahente, vel iis ipſis rerum conſilia hærent ac torpent, quibus ceteroquin pectus vel maxime ſapit. Cujus rei non alia eſt ratio, quam quod ſpirituum animalium ſumma confuſio atque perturbatus motus, ab imaginibus, hoſtem aut ejusmodi quid continuo repræſentantibus natus, intellectui ideas præſenti rerum ſtatui accommodatas exhiberi, non concedat. Unde, licet ab aliis hominibus, quorum animos terror ejusmodi necdum occupavit, conſilia ſuggerantur; ſummo tamen oppreſſos pavore aut iſta non percipere, aut, quo pacto exequenda ſint, hærere ac fluctuare videas. Quia iisdem diutius immorari ideis, attentiusque omnia ſecum reputare, incertus ac vagus ſpirituum animalium motus prohibet. Ita iræ quoque abrepti

Imaginationis in intellectum imperium

exerit ſe in affectibus.

e. g. in terrore,

in ira,

repti furore, rationi nihil relinquunt loci. c) Qua de re deinceps plura dicendi locus erit; cum hic intellectus tantum, aut præcipue ſaltem, ſit ratio habenda. Ex hoc fundamento derivanda eſt ratio legum divinarum, judicibus, ne quid munerum a reis aut actoribus ferant, interdicentium. d) His enim facultati imaginativæ maxima cum voluptate obverſantibus, ratio facillime adeo obrui caligine poteſt, ut, quid fas ſit, nefasve, non occurrat, ſed ejus, qui malæ conſcientia cauſæ ductus pecunia judicem corrupit, juſtam eſſe ac legitimam cauſam pronunciet.

Hinc, quo minus munera accipiantur a Judicibus, Deus prohibuit.

a) Digna ſunt, quæ hic legantur, verba *Ettmulleri* Operum Tom. I. p. 42. *Anima rationalis*, inquientis, *occaſione certarum motionum in ſpiritibus animalibus ſibi format conceptus & phantaſmata; unde in intelligendo pro horum exorbitantiis interdum & ipſa oberrat.*

b) Non poſſum, quin hic referam, ſcopo noſtro vel maxime congruentia, verba *Petri du Moulin*, quæ in tr. *De la Paix de l' Ame* L. I. Cap. II. p. 13. hunc in modum facit: *La raiſon, qui regnoit paiſiblement dans l' ame, avant qu' elle ſe fut alienée de Dieu, ne reçoit plus cette promte obeïſſance, deüe à ſon Createur: les ſemences de bontè, de ſageſſe ſont eſtouffées par les ſuggeſtions particulieres & violentes des affections, qui pouſſent une eſpaiſſe fumée devant l' œil de l' entendement.* Add. *Gottfr. Olearii*, τῶ νῦν ἐν ἁγίοις, tr. cui titulus: JEſus der wahre Meßias, p. 850. ſeqq.

c) Eleganter hoc exprimit *Johannes Clericus Pnevmatol.* Sect. I. Cap. III. §. 21. ubi hæc nectit verba: *Qui ira percitus eſt in aliquem, propter contumeliam ab eo acceptam, aut quid ſimile, libenter & cum voluptate illi malefacit. Hinc ſine ullo judicio, ex collatis ideis elicito, dum ira vehemens eſt, bruto veluti impetu eum interficit.* Nulla hic repræſentatio rationis quicquam valet, non movet periculi magnitudo, cui ſe homicida exponit, non movet pœnarum infernalium intolerabile onus, nil preces ejus, qui jamjam neci traditur. Hæ enim ideæ imaginum, contumeliam exaggerantium, impetu atque ardore opprimuntur.

d) Vid. Exod. XXIII. 8. Deut. XVI. 18. 19. Exod. XVIII. 21.

§. II.

§. II.

Atque hinc quidem ſua jam ſponte fluit, vim illam phantaſiæ errorum tantum non infinitorum fœcundam eſſe matrem. Corporalibus enim ac materialibus rebus nimium ſtatuentes pretium a) mortales, ſanæ rationi tenebras, quo minus genuina unaquaque de re judicia ferat, offundi patiuntur. Scilicet, qui bonorum, quæ decora appellare moralium Doctores ſcientiarum ſolent, ſuavitate ducuntur, iisque jucunditatis affigunt ideam; ſplendore titulorum, venerationis, timoris &c. oblato, intellectus facile lumen perdunt, iſtarumque imaginum ita voluptate capiuntur, ut ſummo bono, hiſce obtentis, ſe potitos eſſe exiſtiment, animique quietem hiſce in bonis apparentibus ſibi inveniſſe videantur. b) Cumque forſan illis alios frui intelligunt, felicitatem eorum inepte extollunt. Hinc infinitè fluunt errores hominum deditorum (1) ambitioni.

a) Scilicet *peccati labes, quæ alienavit hominem a DEO, in quo ſolo veram felicitatem poterat invenire, & cui idcirco ſoli ejusdem ideam alligare debuerat, hanc ipſam felicitatis ideam innumeris aliis rebus affixit; ad quas amandas proſequendasque homo præceps fertur, in illis amiſſam felicitatem recuperaturus. Hinc grandis ſurrexit falſarum & obſcurarum idearum moles, dum unusquisque putat, eorum, quæ amat, poſſeſſione ſe beatum fore, privatione miſerum.* Verba *Auctoris Artis Cogitandi* P.I.Cap. IX. extantia, refero. Nihil ergo fere, niſi materiale, homines ſibi relicti in pretio habent, idque ſolum magni faciunt, omnique conquirunt contentione, uti præclare rem exprimit *Bened. Pictetus dans ſa Morale Chretienne* L. I. Cap. XII. hæc proferens verba: *Nôtre imagination ne nous parle, que pour le bien du corps: Ainſi elle ne nous attache, qu'aux corps.*

b) Hinc commode *Petrus Cunæus* Orat. XIII. ubi de vano honorum gloriæque ſtudio verba fecit, adjicit: *Diu eſt, cum mundus æger cœpit delirare, & vanas imagines accipere.* Delirare enim eos, vanasque habere imagines, qui mentem in hiſce bonis acquieſcere poſſe autumant, nemo temere negaverit. In alios quoque errores proclives eſſe homines ambitioni deditos, Philoſophorum oſtendunt ſcripta.

§. III.

(2) Voluptatum cupiditati.

Eadem ratione & de iis, quorum phantaſia imaginibus rerum turpium delectatur, pronunciandum videtur. Namque ubi ejusmodi quid menti oblatum eſt, ac more ſolito fortius ei impreſſum, rationis ac judicii recti ceſſat uſus. Hinc videmus, eos, qui amore quodam impuro aut ſuavitate objecti ejus capiuntur, præclara de præſtantia formæ ejus judicia, aliorum ſæpe opinioni diſſimillima, ferre. a) Id quod argumento eſſe poteſt, quantopere vis imaginandi ejusmodi hominibus imponat. His accedit, quod omnem felicitatem ſuam ex conjunctione ejus, in quod amore feruntur, pendere ſibi perſuadeant, ac tum demum vere beatos ſe fore exiſtiment; ſi rei amatæ potiores fieri poſſint. Unde haud raro alii quoque errores fluunt. Cum enim furiarum infernalium conſideratio, caducam & vanam fore ipſorum felicitatem, fidem faciat; eo facillime procedunt impudentiæ, ut earum exiſtentiam aut æternitatem ſaltem negent.

a) Dignum eſt, quod huc transferatur exemplum Candaulis, ab *Herodoto* L. I. C. VIII. in medium prolatum, in quo recenſendo ipſius quam meis uti verbis malo. Ita autem ille: *ὁ κανδαύλης, ἠράσθη τῆς ἑωυτοῦ γυναικὸς· ἐρασθεὶς δὲ, ἐνόμιζε εἶναι γυναῖκα πολλὸν πασέων καλλίστην.* Equidem amori judicium hoc tribuitur nimio. Sed quonam ex fonte amor iſte immoderatus manavit? certe nonniſi ex phantaſiæ vividiori ac fortiori repræſentatione, attentiorem veritatis conſiderationem impediente. Namque in hujus generis homines vel maxime quadrat illud *Thucydidis* L. I. Cap. 20. effatum: *ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται.*

§. IV.

(3) Avaritiæ.

Quorum denique phantaſia bonorum utilium imaginibus demulcetur, apud eos maximi iſta ſunt ponderis; hæc mirantur; hæc efferunt; ac ſibi ipſis beatiſſimi, ſi modo ingentem horum copiam colligere potuerint, videntur. Hinc corporalia iſthæc bona longe pluris ſpiritualibus æſtimant. Hiſce enim neglectis, illis tantummodo inhiant, nec, variis fraudibus atq; dolis,

lis, ut ſummo ſuo, ſi ſuperis placet, bono potiantur, graſſari, religioni ſibi ducunt. a) Et, quia felicitas ex hujus poſſeſſione pendere iis videtur, homines omnibus ornatos rebus ac copioſos maximi facere, & eximia colere reverentia ſolent. b) Corrupti autem intellectus certiora non ſunt documenta, niſi cum homines felicitatem ſuam poſſeſſione bonorum caducorum metiuntur, atque hæc majori, quam ſpiritualia, ſtudio quærenda eſſe ſtatuunt.

a) Et hic quidem error tantopere haud raro mentem hominum faſcinat, ut, quanta facilitate detegi fallaciæ iſtæ poſſint, non intelligant. Hinc nata ſunt tot diplomata ſpuria atque fictitia; inter quæ, ſi damna ex intentione auctoris in partem læſam hinc redundatura ſpectes præcipuum obtinet locum famoſiſſimum illud Lindavienſe, tot tantarumq; litium fons atque ſcaturigo, quarum hiſtoriam prolixe deduxit *Joh. Reinhard Wegelinus* in Diſp. ſeu potius Libro, cui titulus: *Prærogativa antiquit. Civit. Lindav. præ Illuſtri Cœnobio.* In compendio eandem exhibet *Burc. Gotthelff Struvius* Diſſert. de Doctis Impoſtoribus § XLI. & Biblioth. Hiſtor. Cap. XVII. §. 37. Nec non *Joh. Chriſtianus Neu* in Acceſſionibus ad Degor. Wheari Relect. Hyemal. P. II. p. 194. ſeqq. De cetero illarum, quas dixi, fraudium monachos potiſſimum reos haud injuria agit *Hermannus Conringius* in Cenſura Diplomatis Ludoviciani, Cap. XIX. variorum nixus auctorum teſtimoniis, imprimis vero, quoad Benedictinos, *Gabrielis Naudæi.* Bilem hoc movit *Mabillonio*, eidem adſcripto ſocietati, qui hac de cauſa in ſuo de Re Diplomatica opere L. III. C. III. num. 2. defenſionem eorum molitus eſt. Sed non eſt, cur tanto conatu in Conringium inſurgat, cum vitia hominum quorundam ordini iſti addictorum nullam adſpergere poſſint ſocietati ipſi maculam, perinde ac flagitia nonnullorum, ſacro fungentium munere, huic ipſi probro dari nullo poſſunt jure. Aliam autem Conringio ſententiam non fuiſſe, mihi quidem plane perſuaſum eſt, quam illuſtrare licet ex iis, quæ de Eccleſiaſticorum ſuæ ſectæ avaritia a Viennenſi Archiepiſcopo in medium prolata recenſentur a *Jac. Auguſto Thuano* Hiſtor. Tom. I. L. XXV. p. 763. Atque id quidem evincunt verba ipſius *Conringii* l. c. data: *Vellem equi-*

equidem non ſoli aut toti ordini crimen, quamvis multorum ejus ſodalium imputatum: reapſe enim & in aliis ordinibus ſive ſocietatibus malæ animæ & in Benedictinis boni complures reperiuntur. Confer. *Hiſtor. Vindic.* pro Hermann. Conring. Cenſur. p. 21. ſeq. De quarum Auctore legi poteſt *Burc. Gotth. Struvii* Bibliotheca Hiſtoric. l. c.

b) Conferri meretur *Auctor Artis Cogitandi* P. I. Cap. IX. Alios errores ex nimia opum æſtimatione profluentes *Franc. Petrarcha,* (citatus Heideggero Hiſt. Papat. Period. V. p. 167.) in Epiſt. XVI. deſcribit, ubi de curia Papali cum ſermonem feciſſet, addit: *In regno avaritiæ nihil damno adſcribitur, modo pecunia ſalva ſit: Futuræ ibi vitæ ſpes, inanis quædam fabula, &, quæ de inferis narrantur, fabuloſa omnia, & reſurrectio carnis, & mundi finis, & Chriſtus ad judicium venturus, inter nænias habentur.* Aliter hac in parte ſe geſſiſſe majores noſtros, *Tacitus* Libr. de Morib. Germanor. tradit: *Argentum & aurum*, inquiens, *propitii, an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam aurum argentumve gignere. Quis enim ſcrutatus eſt? Poſſeſſione & uſu haud perinde afficiuntur. Eſt videre apud illos argentea vaſa, legatis & principibus eorum data muneri, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur.* Rem ita ſe habuiſſe, facile crediderim. Sed non alia id de cauſa factum exiſtimo, quam quod pecunia apud illos pretium eminens necdum fuit. Unde nullum foveo dubium, rebus aliis in commercium venientibus eos tanquam homines ſibi relictos idem, in quo reliqui mortales aurum reponere ſolent, pretium ſtatuiſſe.

§. V.

Horum errorum cauſa moralis eſt deficiens in ætate tenera rationis uſus.

De cetero errores hi ab ineunte ætate hominibus imprimi ſolent; eo ſcilicet tempore, quo nonniſi materiales ac corporales ideæ, rationis nimirum uſu carentibus repræſentantur. Hinc, quæ ſenſibus percipiuntur, non poſſunt non in maximo eſſe pretio; cum præter illa, quod alicujus ſit momenti, non ſuppetat. Hæc autem præjudicia ſemel hauſta non facile tolluntur, niſi ſummum voluntatis divinæ inveſtigandæ ſtudium teneræ inſtilletur ætati. Hac de cauſa mirum eſſe non debet, præcipuam hominum partem per o-

omnem

mnem vitam in fœdiſſimo, eodemque tenaciſſimo corporearum cupiditatum cœno hærentes,& quaſi clavis quibusdam, ut Plato loquitur, terræ affixos ad divina ac cœleſtia ne aſpirare quidem poſſe. a)

a) Verba hic *Mureti*, quæ in Orat. X. profert, refero.

§. VI.

Eam præter hæc vim intellectus operationibus facultas imaginandi infert, ut, quo minus intellectus judicio quælibet idea ſubjiciatur, atque diverſæ ab his, quæ productæ jam ſunt, repræſententur, obſtaculo nonnunquam ſit. Nimirum ad quas ideas repræſentandas phantaſia conſuetudine fertur, illæ, obluctante licet voluntate, intellectui, circa alias plane imagines verſaturo, frequenter ſeſe offerunt, & ab aliarum idearum contemplatione animum revocant. Quando enim ſpiritus animales ad hoc vel illud repræſentandum a voluntate, intellectu prælucente, determinantur; hi in motum deducti ſæpe ad ea, quibus a longo temporis intervallo petendis aſſueti ſunt, veſtigia retegenda ſe conferunt, nullo novis ideis loco facto. a) Si quem autem, his lectis, ea teneat opinio, haud adeo commode, quæ dicta ſunt, ad vires imaginationis in intellectum referri; quippe cum imperium potius in ſeipſam facultatis imaginatricis hæc arguant, quod idea altera fortior alteram expellat: Ille hoc a nobis reſponſi feret, neque id quidem nos inficias ire, vim aliquam phantaſiæ in ſeipſam hac in parte ſe exerere, ſed majorem longe in intellectum poteſtatem hic conſpici. Namque ille facultatis imaginatricis vehementia a rerum, quas luſtrare ac intueri oculis ſuis debebat, curata contemplatione retrahitur; eoque ipſo ſingularem quandam imbecillitatem commonſtrat. Ex eadem intellectus infirmitate profluit hoc quoque malum, quod, qui ſibi quid perſuaſit, ac phantaſiæ ſuæ firmius impreſſit, ea omnia credat, quæ aliquam ea cum re affinitatem habere videntur; b) Non aliam ob cauſam, quam quia vis imaginandi ſolitis, aut ſaltem iis, quas antea penſitaverat, conformibus delectatur ideis. Unde etiamſi alias repræſentari ideas, voluntas, prælucente intellectu, juſſerit: non tamen ſemper ob reluctantem phantaſiæ facultatem,

Idem imperium nonnunquam intellectum a contemplatione rerum utilium revocat,

eumque compellit, ut fidem adhibeat iis, quæ cum re ſemel impreſſa videntur conjuncta.

ea autem rejiciat, quæ illi repugnare videntur.

cultatem, illud peragi poteſt. Quæ vero cum ea, quam quis ſemel hauſit, ſententia pugnant, illa rejiciuntur. c) E contrario nonnunquam contingere ſolet, ut imagines, quibus intentus eſſe quis cupit, mente ejiciantur; aliis ideis, quæ prioribus magis afficiunt, ſupervenientibus. d)

a) Lucem hiſce affundunt, quæ *Crouſazius dans ſon ſyſteme de Reflexions.* P. I. Cap. VI. §. VIII. differit; ubi oſtenditur, quo pacto ideæ nobis familiares, quavis data occaſione, menti ſeſe offerant, eamque ita occupent, ut aliis imaginibus formandis nihil loci relinquatur. Id quod illuſtrat exemplo Chymicorum, qui tribus ſuis principiis inhærentes, ea rebus phyſicis accommodare ſatagunt. Hinc peculiaris Phyſicorum ſecta, qui Chymici audiunt; quoniam tria ſua principia chymica ad ſcientiam naturalium ac corporalium rerum transtulere, nata eſt; de quibus vid. *Sturm.* Conam. Phyſic. Concil. P. Gen. Cap. VII. §. XII. & *Joh. Baptiſta du Hamel* de affect. Corpor. L. I. Cap. VIII. IX. Alia deinde exempla huc ſpectantia idem auctor in medium profert, quæ nunc quidem brevitatis ſtudio omittimus. Eadem vis in intellectu quoque puro conſpicitur, quod ὡς ἐν παρόδῳ addere placet. Hinc certe factum eſt, ut Eccleſiæ Patres primitivæ, qui Platonicæ Philoſophiæ ante converſionem placita avidius imbiberant, mentique firmius impreſſerant, eadem ad rerum divinarum ſtudium transferrent, formuliſque loquendi Platonicis in ſcriptis ſuis Theologicis uterentur. Idem de iis, qui Patriarcharum eruditionem ſuorum temporum conditione menſi, his varia ſcripta, variarumque diſciplinarum ſcientiam tribuere. De quibus vid. *Joh. Franciſc. Buddei* Introduct. ad Philoſophiam Hebr. §. 1. ſqq. & Hiſtor. Eccleſiaſt. V. T. paſſim. Variæ ſcilicet illæ ideæ, quas de eruditionis ſui ſeculi ratione menti penitus infixerant, obſtabant, quo minus aliæ, genuinam literaturæ veterum conditionem ſiſtentes, fingerentur. Hac de cauſa S. etiam Johannem Evangelium ſuum conſcripſiſſe, ut phraſes a Philone adhibitas ad orthodoxum transferret ſenſum; ne Chriſtiani, Philonis lectioni aſſueti, illius placita cum ſacris Dogmatibus commiſcerent, *Joh. Clericus* in Prolegom. & Animadverſ. in 18. priora commata Cap. I. Evangel. Johann. auctor eſt. Id quod eo facilius fieri potuiſſe exiſti-

exiſtimat, quod illa his admodum affinia fuerint. Sed paucis fidem faciet, S. Johannem Philonis ſcripta ſedulis verſaſſe manibus. Neque vero formulas loquendi a Johanne uſurpatas ex Philone arceſſere neceſſe eſt, cum alii, ex quibus iſtæ peti potuerunt, ſuppetant fontes. Quod enim e. g. τȣ̃ λόγȣ vocabulum attinet, obſervandum, Meſſiam in Targumim frequenter verbi Domini nomine inſigniri. Conf. *Ittigii* Diſſertat. de Patribus Apoſtolic. §. V. *Eliæ Benoiſt* Diſſertat. Epiſtol. 3. in priores 18. I. Cap. Evang. Sec. Johann. verſic.

b) Huc pertinent, quæ Auctores Actor. Erudit. Germanico concinnatorum idiomate, im 33ſten Theil p. 702. de *Hieronymo Cardano* referunt, adeo firmiter ſcilicet menti eam impreſſiſſe illum ſententiam, pulicem elephanti exactiſſime reſpondere, ut hinc colligeret, naturam haud dubie elephantem producere voluiſſe, cum primum præter opinionem pulicem in lucem proferret. Hiſce affinia commemorat quoque *Baile dans ſon Dictionaire Hiſtor. & Critiqu.* Tom. II. P. I. p. 259. not. I. vid. & *Julius Cæſar* de B. G. L. VI. Cap. 41.

c) Conf. Gen. XLV. 26.

d) *Anima* enim *non eſt domina ſuæ attentionis*, ſaltim non ſemper, uti recte judicat *Ludovicus de la Forge* in Libr. de Ment. Hum. Cap. XVI. Atque hæc videtur ſubeſſe ratio, quare ſæpenumero meditationes doctorum virorum, aut affectuum exorbitantiis, aut curis domeſticis, hiſve ſimilibus rerum obviarum ideis turbentur. Quod malum jam olim queſtus eſt *Horatius*, Epiſt. II. ad Jul. Flor. L. II. dicens:

Romæ, mene poemata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas, totque labores? Conf. *Plin* L. I. Epiſt. XXII. & L. VIII. Ep. XXIII. Huc ſpectant, quæ *Naſo* Triſtium L. V. Eleg. XII. canit:

Scribis, ut oblectem ſtudio lacrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora noſtra ſitu.
Difficile eſt, quod, amice, mones. Quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.
Noſtra per adverſas agitur fortuna procellas,
Sorte nec ulla mea triſtior eſſe poteſt.

Add. *Baudius* Epiſt. XVII. Centur. III.

§. VII.

§. VII.

Hinc etiam derivanda præcipitantia.

Huc etiam præcipitantia, quæ ſæpiſſime in hominum actionibus conſpicitur, referenda videtur. Ingenti enim phantaſiæ vi ad hoc vel illud agendum, concitati, ad actiones incaute ſuſcipiendas eodem impetu feruntur; ſana ratione in conſilium plane non vocata, nec eventus reſpectu habito. Quem cum deinceps infauſtum experimento deprehendunt, inconſideratum illum impetum, a quo ſeſe abripi erant paſſi, deteſtantur. a) Idque iis potiſſimum evenire ſolet, quibus temperamentum ſanguineum a natura impertitum eſt. Horum enim vigor cum celeritate, ac vago ſpirituum motu conjunctus, nihil ſpatii, ideas ſatis longo intervallo intentis, ut ajunt, oculis contemplandi concedit. Hinc voluntas prius ad patrandum facinus impellitur, quam ratio, quid motum ejuſmodi ſit ſubſecuturum, providere potuit. b)

a) Conf. 1. Reg. II, 40. ſeqq. Add. *Zoſimus* Hiſtor. Nov. L. II. p. m. 179. Coll. Apolog. Leunclavii edit. Cellar. præmiſſ. p. 8. 9. Sed & Diſſert. Hiſtor. de Fide Conſtantini M. haud dubie Chriſtiana, Moderante *Johanne Frickio* Ulmæ ventilata, §. XIV. & XXII. *Juſtinus* L. XXXIV. Cap. I. *Herodotus* L. III. Cap. XXXVI.

b) Conferri omnino meretur *Curtius* L. VIII. C. I. n. 20. ſeqq. ubi de Alexandri M. in patrata Clyti cæde præcipitantia exponit, hocq; relationi ſuæ addit L. VIII. Cap. II. n. 1. Epiphonema : *Male humanis ingeniis natura conſuluit, quod plerumque non futura, ſed transacta perpendimus.* Licet, quid voce naturæ denotetur, ipſe forte non ſatis diſtincte intellexerit. Si enim Deum ipſum hoc inſignit nomine, errat, eum male humano generi conſuluiſſe, exiſtimans. Si cauſas ſecundas, quæri ex eo haud injuria poteſt, quænam illæ ſint. Enodare hæc ratio nequit, &, ſi quid forte in medium proferatur, ſemper tamen illud relinquetur dubii: Unde fiat, ut cauſæ ſecundæ hocce modo agant. Nos Chriſtianis ſublevati dogmatibus commodiſſime iſta exprimimus dicendo: *Male humana ingenia ſibi ipſis conſuluerunt, quod ſua culpa in eam ſe præcipites dederunt miſeriam, ut futura, quam transacta, ſolertius cum animo reputent.*

§. VIII.

§. VIII.

Eadem de cauſa plurimi mortalium credulitatis vitio laborare deprehenduntur. Quando enim phantaſiæ noſtræ aliquid offertur, quod eam delectat, jucunditatemque præ ſe ferre videtur, illud haud raro intellectui ita obtruditur, ut ille oppreſſus, in iſtis, quas phantaſia offundit, tenebris veritatem inveſtigare nequeat; ſed cæco imaginativæ impetu abreptus aſſenſum imaginibus obverſantibus præbeat. Hinc tot hiſtoriolis inanibus, tot vanis commentis vitæ ſanctorum contaminatæ ſunt, ut vix, quæ uſui ad vitæ rationem inſtituendam eſſe poſſint, reperias. Hinc tot miracula, tot actionum monſtra hominibus, ſanctitate vitæ morumque puritate eminentibus, aſſignata videas, ut, quid pro explorato æſtimandum, quid rejiciendum ſit, tandem vix appareat. Hinc nata & producta ſunt tot figmenta, quæ auribus primo hominum percepta, cum mirifica ſua jucunditate phantaſiæ ſeſe inſinuarent, fide digna videbantur. Quam imaginationis nullo negotio illuſionem evitare potuiſſent, ſi exiguo temporis intervallo in animis iſta verſaſſent. Hoc enim facto, noſtro quidem ſeculo figmenta iſta detecta ſunt, ut non acquieſcant, cum e. g. in *Sulpicii Severi* Libro de vita S. Martini relatum legunt, harum rerum periti: Diabolum humana aſſumta ſpecie obvium ſe B. Martino, ad convertendos ſuos iter ingreſſo, tuliſſe; quo tenderet, quærentem. Cumque id a Martino reſponſi accepiſſet, ſe, quo Dominus vocaret, intendere, dixiſſe ad eum: Quocunque iveris, vel, quæcunque tentaveris, Diabolus tibi adverſabitur, ſtatimque ex conſpectu ejus inimicum evanuiſſe. Et quis noſtro fidem addat ævo iis, quæ in Epiſt. I. de vita ejus habentur; ubi Sulpicius Severus, illæſum B. Martinum in flammas inſiliiſſe, refert, cum incredibilem hæc arguant temeritatem, ac Dei, quam evitari ejus præceptum a) jubet, tentationem involvant. b) Idem judicium de aliorum miraculis, quorum præcipue Pontificii ſtupendum confecerunt numerum, ferendum eſſe, jam pridem Theologi ſaniores oſtenderunt. c) Huc quoque referri poteſt πολυθεότης atque idololatria gentilium, qua per tot ſecula

nec non credulitas

quæ adminiculo meditationis expellenda.

Idololatria multum debet credulitati.

la omnem pene mundum contaminatum fuiſſe, ex hiſtoriarum monumentis conſtat. Licet enim, ut credam, a me impetrare non poſſim, Homerum, Heſiodum, aliosque Poetas ac Philoſophos eo prolapſos, ut ingenii ſui figmenta in numerum veritatum reponerent: d) Aliorum tamen credulitati tribuendum eſt, quod hæc tam lateſe diffuderit de multitudine Deorum opinio. Scilicet cum mirifica ſeſe jucunditate hæc doctrina phantaſiæ commendaret, hominumque pravis adaptata eſſet affectibus, horum facillime intellectus adeo obtenebratus eſt, ut, veritatis luce excuſſa, mortales illos, tot paſſionum, tot ſcelerum e) labe contaminatos, in Deorum numerum referendos eſſe judicarent; ea potiſſimum adducti ratione, quod facultas imaginatrix nimia, ex hac impuritatum. f) enarratione concepta, voluptate capiebatur; ita quidem, ut nihil intellectus lumini relinqueretur loci.

a) Vid. Devt. VI, 16. Coll. Matth. IV, 5. 6. 7. ubi, Chriſto exploratum fuiſſe, legimus, Deum ſe tentaturum, ſi quidem ex turri præcipitem ſe daret.

b) Pontificii quidem inanibus hiſce fabulis credulitatem ſuam addicunt, quin & longe plures ejusmodi hiſtoriolas comminiſcuntur. Quæ vero in veterum monumentis reperiunt, novis ſubinde argumentis firmare allaborant. Quorſum e. g. commentum illud de ampulla balſamo repleta, quam a columba quadam, Remigio Archiepiſcopo Rhemenſi, Clodovæum Francorum Regem ſacris abluente undis, cœlitus delatam, fabularum amatores certatim commemorant, pertinet. Inter quos recentiori ætate referendus P. *Dorigny*, qui noviſſime in hiſtoria vitæ S. Remigii ao. 1714. Gallicano idiomate edita, eandem revocavit ſententiam, licet ab aliis ſuæ religionis conſortibus toties rejectam. Vid. *Memoires de Trevoux* menſ. Nov. 1714. & *Journal des Savans* Menſ. Jan. 1715. ſed ex præjudicio potius utilitatis, quæ hujus ſunt generis, procedere, quam ex animi ſententia, ſaltim, ſi doctiores hujus ſectæ ſpectes, facile eſt intellectu.

c) Ita v. g. de miraculis *Gregorio Thaumaturgo*, cujus de vita & miraculis orationem edidit *Gregorius Nyſſenus*; *Paulo Thebæo*, cujus vitæ hiſtoria *Hieronymo* tribuitur; *Antonio*, de cujus miraculis

lis *Athanaſius* monumenta reliquiſſe perhibetur; S. *Martino*, cujus miranda *Sulpicius Severus* perſecutus eſt, aliisque & antiquioribus & recentioribus; vindicatis judicat *Frider. Spanhemius* in Hiſtor. Eccleſ. Sect. III. Cap. X. p. 778. 779. *Multa, ut apud Gregorium Nyſſenum, ita & apud reliquos anilem quandam credulitatem ſpirare.* Eandem *Guil. Cave* fovet opinionem in Hiſt. Literaria Scriptor. Eccleſ. Sec. Novat. ſeu tertio p. 68. Idem *Bernhardi Montfauconii* hominis pontificii hiſce de rebus eſt judicium Palæograph. Græc. L. IV. Cap. I. p. 269. Add. B. Johann. Gerhardi Confeſſ. Catholic. L. I. P. II. Cap. XVI.

d) Suo hoc calculo confirmare videtur *Lactantius* Inſtit. Divin. L. I. Cap. XI. *Illi*, inquiens, *poëtæ de hominibus loquebantur, ſed ut eos ornarent, quorum memoriam laudibus celebrabant, Deos eſſe dixerunt. Itaque illa potius ficta ſunt, quæ tanquam de Diis, non illa, quæ tanquam de hominibus locuti ſunt.* Cujus ſententiæ etiam accedit *Theophilus Antiochenus* L. II. ad Avtolycum asſerens, *Poëtas Homerum, & Heſiodum locutos eſſe* ȣ̓ καθαρῷ πνεύματι, ἀλλὰ πλάνῳ, i. e. *non puro ſpiritu, ſed fallaci.*

e) Quæ cum ipſi Dii commiſiſſent, hanc ipſam ob cauſam non esſe mala; ſibique eandem fore licentiam, judicabant. Teſtem hujus rei habemus Auguſtinum L. I. Confeſſ. Cap. XVI. *Fingebat*, inquientem, *hæc quidem ille* (*Homerus*) *ſed hominibus flagitioſis divina tribuendo, ne flagitia putarentur, &, ut quisquis ea feciſſet, non homines perditos, ſed cæleſtes Deos videretur imitatus.*

f) Non enim potuit non phantaſia hominum naturalium, figmenta Poetarum legentium, nimium quantum inflammari: Cum traditum invenirent, quo pacto Venus v. g. omnium fuerit proſtituta libidinibus, non Deorum tantum, ſed & hominum, primaq; artem meretriciam inſtituerit, auctor etiam mulieribus in Cypro fuerit, ut vulgato corpore quæſtum facerent. Item, qua ratione Jupiter Danaen violaturus in aureo delapſus ſit imbre, hujusque generis infinita alia; de quibus legi poteſt *Gerhardi Joh. Voſſii* Liber de Idololatria Gentili.

§. IX.

Eodem quoque ſpectat illa imaginationis deluſio, qua decepti, quæ per ſomnum vivida repræſentatione nobis obla-

Cur, quæ per quietem exhi-

bita ſunt, reipſa accidiſſe nonnunquam putemus.

ta ſunt, revera nobis obtigiſſe, nonnunquam exiſtimamus. Idem enim motus ſpirituum animalium, qui exſomnibus inerat, a phantaſiæ perturbato fluxu per quietem, ubi illa directione mentis eſt ſoluta, ejusque velut imperium excuſſit, reſuſcitatus, eandem quoque intellectui imprimit opinionem. Equidem anima rationalis, quod a facultate imaginatrice ſopore oppreſſis offertur, ſentit atque percipit, ſed abſque ulla reflexione aut actione circa illas imagines. Mens enim tunc ipſa velut torpore ſepulta jacet. Cum igitur eundem motum; qui interdiu ſenſuum externorum ope excitatur, cujusque imago in cellulis cerebri latet, noctu revocant, mentique ſiſtunt ſpiritus animales; fieri nequit, quin intellectus ſibi perſuadeat, ea, quæ per ſomnum viſa ſunt, reipſa incidisſe. a) Nonnunquam quoque dubii hæremus, utrùm, quod a vi imaginativa nobis oſtenſum eſt, vere inaniterne evenerit. Cujus rei ratio alia eſſe nequit, quam quod ex parte repræſentatio nocturna conſentanea fuerit ei, quam de die patimur. b)

a) Huc referunt nonnulli exempla veneficorum & ſagarum, qui ſibi noctu ad magorum cœtum, colendi dæmonis variarumque oblectationum percipiendarum ergo, proficiſci videntur. Quam ſententiam magno conatu áſtruere viſus eſt Balthaſar *Beckerus* Libr. cui titulum fecit: Mundus Faſçinatus. Ubi varias ejusmodi deprehendimus hiſtoriolas, quibus demonſtrare aggreſſus eſt, omnia iſthæc deceptioni phantaſiæ tribuenda. *Petrum etiam Aponenſem Gerhardus Joh. Voſſius* de Theolog. Gentil. L. I. Cap. VI. omnem magiam ab imaginatione vehementiori, quæ vapores ac ſpiritus conturbet, naſci, exiſtimaſſe refert. *Johannes* autem *Clericus*, licet eidem ſententiæ adſtipulari videatur, Sect. II. Cap. V. 9. Pnevmatol. Tamen §. 16. *Nolim affirmare*, inquit, *nunquam vere contigiſſe, quod Magi narrant; at quod ſemel vere accidit, millies deluſæ mentis ſomnia fuiſſe, facile crediderim.* Ex hiſce apparet, proxime a Beckeri ſententia eum abeſſe. Conf. *Caſpar Schottus* Phyſic. Curioſ. L. I. Cap. XXIII qui fuſius hanc rem perſequitur. Cujus ſententiæ nos quoque accedentes, aſſerimus, multum utique

phan-

phantaſiæ læſioni hoc in genere deberi, neque tamen inde colligendum, nunquam aut raro id ipſum revera evenire. Conf. & Obſerv. Miſcellan. P. 26. p. 103.

b) Prouti e contrario contingere poteſt, ut quis, quæ revera accidêre, per ſomnum incidiſſe, ſibi perſuadeat. Vid. Act. XII, 9. Idque iis potiſſimum obtingere ſolet, qui ſæpe a phantaſia deluſi, hincque cautiores redditi ſunt.

§. X.

Enthuſiaſmum & Fanaticiſmum huc quoque pertinere, nemo, puto, temere dubitabit. Igitur & hoc loco de iis tractatio eſſet inſtituenda, niſi argumenti prolixitas, aliorumque ſcriptorum hac in re collocata induſtria a) nos cohiberet.

a) Conf. *Joh. Franciſc. Buddei, Præceptoris mei grata atque pia mente ætatem colendi*, Inſtitut. Theol. Mor. P. I. C. I. Sect. V. §. XVII. ſeqq. Auctoresque ibidem citati.

CAP. II DUM
DE
IMPERIO IMAGINATIONIS IN VOLUNTATEM.

§. I.

AD alia igitur tranſitum facimus, quo pacto phantaſia vel ipſam voluntatem ſæpiſſime throno ſuo injuſte moveat, expoſituri. Et primo quidem illud obſervandum nobis venit, voluntatem imaginum quarundam menti repræſentatarum expulſionem fruſtra nonnunquam moliri. Idque eo imprimis tempore contingere ſolet, quando ſpiritus animales cum impetu velut quodam imagines ad mentem perferunt. Unde, ſi quis forte jacturam eorum, quæ eximia charitate dilexit, aut partis eorundem fecerit; viribus imagines ejus jacturæ, perpetuo menti obverſantes, naturalibus expellendi facultate caret. Quin vel eos ipſos, qui aliis media, quorum adminiculo dolorem iſtum excutiant, aut mitigent ſaltem, præſcribunt atque ſuppeditant, quandoque dolori ſuccumbere, a) ac licet, ut imagines menti moleſtas ejiciant, omni enitantur ſtudio, ejusque rei conſequendæ gratia omnes animi nervos intendant, oleum tamen & operam

Imperium Imaginationis in voluntatem.

Cui invitæ ideas quasdam imaginatio ſæpe obtrudit,

in dolore

in vindictæ cupiditate.

ram b) videas perdere. Sic etiam, qui ab aliis gravius læſos ſe eſſe exiſtimant; etſi intelligunt, vindictæ abreptos cupiditate majora longe pericula ſe incurſuros, hancque ob cauſam affectum hunc coercere ac ſupprimere conantur: non tamen a ſeipſis impetrare poſſunt, ut, affectus illius vehementia oppreſſa, in gratiam cum eo, ex quo offenſionis quid habuerunt, redeant; ſed iræ ac furoris pertinacia concitati gravioribus, licet inviti, ſeſe offerant diſcriminibus. Quia impetum illum, ex imaginibus moleſtæ illius læſionis perpetuo obverſantibus propullulantem, inhibere non potuerunt.

a) Hinc *Libanius*, etſi in Philoſophorum placitis atque præceptis ſatis verſatus, quibus & ipſe conveniens vitæ genus ſectabatur, de ſeipſo tamen Epiſt. LXI. p. m. 184. amici morte renunciata, ſequentia refert: ἐγὼ δὲ εὐθὺς μὲν ἀκούσας, ἄφωνος ἦν, ὡς ἐπὶ πλεῖστον. *Ego vero, cum audirem* (ſcilicet de amici obitu) *ſtatim uſu linguæ intercludebar, idque haud exiguo temporis ſpatio.* Et *Ciceroni*, dolore victo, *Ser. Sulpicius* id ipſum in mentem revocat L. IV. Famil. Epiſt. 5. *Denique noli*, inquiens, *te oblivisci Ciceronem eſſe, & eum, qui aliis conſueris præcipere, & dare conſilium, neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere ſe medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: ſed potius, quæ aliis tute præcipere ſoles, tute tibi ſubjice, atque apud animum propone.* Hinc etiam factum, ut eorum, qui moderate caſus adverſos tulerunt, exempla literis conſignarent gentiles, tanquam inſolita. Cujus generis ſunt, quæ *Ælianus* tradit L. III. Cap. III. ſeqq. Sed ſine adminiculo ambitionis hæc fieri non potuerunt. Homines enim ſibi relicti alterum affectum nonniſi alterius ope coercere poſſunt; ubi non tollitur ſervitus, ſed mutatur tantummodo Dominus. Vid. *Plutarchus* in Vit. Æmil. p. 274.

b) *Ovidius* L. IV. Eleg. VI. Triſt. omnia temporis longinquitate imminui, tolli atque dilabi; ægritudinis autem animi ſui nec modum nec finem eſſe, queritur. Verba ejus huc transtuliſſe juvabit:

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri &c.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas,

Præ-

Præterquam curas attenuare meas.
Ut patria careo, bis frugibus area trita eſt,
Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede.
Nec quæſita tamen ſpatio patientia longo eſt,
Mensque mali ſenſum noſtra recentis habet.
Credite, deficio, noſtroque a corpore, quantum
Auguror, accedunt tempora parva malis.
Nam neque ſunt vires, neque qui color eſſe ſolebat;
Vixque habeo tenuem, quæ tegat oſſa, cutem.

Imprimis autem ſcopo noſtro inſerviunt dicta ab *Auguſtin.* Confeſſ. L. IX. Cap. XII. ſequentem in modum: *At ego in auribus tuis* (Deum alloquitur) *ubi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectus mei, & conſtringebam fluxum doloris, cedebatq; mihi paululum, rurſusque impetu ſuo ferebatur, non uſque ad eruptionem lacrymarum, nec uſque ad vultus mutationem: Sed ego ſciebam, quid corde premerem: & quia mihi vehementer diſplicebat, tantum in me poſſe hæc humana, quæ ordine debito & ſorte conditionis noſtræ accidere neceſſe eſt, alio dolore dolebam dolorem meum, & duplici triſtitia macerabar.* Hæ rei moleſtæ imagines intellectum voluntatemque nonnunquam adeo exagitant, ut homines mentis non amplius compotes manus ſibi ipſis violentas inferant, aut, ſi forte hujus ſceleris peragendi occaſio præciditur, exoptent tamen illam, ac repreſſi injuriam querantur: ut Cornelia Pompeji Uxor; quam cæſo marito, mortis ſolatio dolorem lenituram, ita loquentem facit *Lucanus* Pharſal. L. VIII.

Aut mihi præcipitem nautæ permittite ſaltum,
Aut laqueum collo, tortosque aptare rudentes,
Aut aliquis Magno dignus comes exigat enſem.

§. II.

Varios mentis & phantaſiæ actus in hominibus affectibus ejusmodi perturbatis obſervare licet. Primo enim vis imaginandi ſpeciem iſtius mali, quod incidit, ejusque vehementer exaggerati, intellectui repræſentat Quo facto huic caligo quædam offunditur; quam tamen diſpellere paululum, ſi nimis vehemens imaginativæ in eum incurſio facta non fuerit, Varii mentis & phantaſiæ in hujusmodi affectibus actus.

ſuerit, poteſt; ita quidem, ut talis homo percipiat, quantis v.g. periculis corpus ſuum exponat, ſi ulciſci injuriam in animum induxerit. Dehinc voluntas, abjiciendum eſſe illud injuriæ vindicandæ conſilium, decernit, & adverſus motus phantaſiæ conſurgit, eosque tantum non componit. Sed ſæpenumero uſu venit, ut paulo poſt eædem ideæ vehementiori cum impetu menti ſe ſiſtant, atque tum demum voluntati gubernaculum eripiatur. Unde hæc in omnia, quæcunque effrenis illa imaginationis libido grata judicavit; cœco iſthoc adacta inſultu, fertur. Sæpiſſime autem, prima imaginum incurſione peracta, mens illico ſuccumbit, & ad quævis patranda mala induci ſe patitur.

§. III.

Multum huc confert ſolitudo.

Quæ de facultatis imaginatricis in voluntatem imperio prolata a nobis ſunt, iis vel maxime hominibus, qui in ſolitudinem, locaque ab arbitris libera ſeceſſerunt, obtingere ſolent. Solitudo enim non aliis imaginibus facilius producendis locum facit, quam iis, quæ caſum quendam, facultatem imaginandi vehementer afficientem, repræſentant. Hinc fieri amat, ut, quamvis omni opera ac ſtudio in hujus generis ideis expellendis voluntas elaboret; perfici tamen, propter objecti, aliis imaginibus formandis idonei, defectum hoc nequeat. Nimirum ſicut non aliud eſt præſentius huic malo remedium, quam ſi imaginationi indirecte repugnes, aliud offerendo ideis fœcundum objectum: Ita, qui in loco quodam ab arbitris remoto degunt, rerum huic ſcopo accommodatarum copia deſtituuntur; mente interim in ea, quæ præſentium conditio temporum repræſentari poſtulat, defixa. Et licet nonnunquam non deſint, quæ vis imaginativa verſare queat: tamen, quia fuere impetu debiliori oblata, nullo negotio rurſus obliterantur. Atque hinc ratio videtur petenda, cur iis, qui hunc in modum cum doloribus, aut calamitatum ideis continuo obverſantibus conflictantur, adeoque rei cuidam moleſtæ operam dant, tempus videatur longiſſimum. Ubi enim moleſta nobis idea adeſt, eam fugare nititur animus, aliasque in ejus locum ſubſtituere. Illi ergo

Tempus in ſolitudine degentibus videtur longiſſimum.

ergo detrahit, addit, & varia ratione eam verſat, propter dolorem atque moleſtiam, in qua acquieſcere non poteſt. a) Hæc ergo ingentis idearum multitudinis repræſentatio efficit, ut diutius duraſſe hoc tempus videatur, quam ſi ideæ jucundæ, utpote quæ paucitate ſua, quia iis diutius cum voluptate immoramur, temporis ſpatia fallunt, animum fuiſſent prætervectæ. Iidem phantaſiæ motus, ut in ſeceſſu b) potiſſimũ, ita eo quoque ſæpiſſime temporis intervallo evenire ſolent, quo homines corpora ſua quiete reficere geſtiunt. Tunc enim alias omnes ideas, quantum quidem ejus fieri poteſt, mente exigunt, ne qua forte exoptatæ quieti obicem ponat. Quodſi igitur fortunæ adverſæ aut caſuum infeſtorum nubilo perfuſi fuerint, imagines ejus rei moleſtæ vehementiori, quam ut imperio voluntatis cedant, impetu in mentem facto, huic invitæ ſeſe offerunt. c) His autem pellendis impares ſunt animi vires; unde non poſſunt non quietem turbare, eique, cui invito adſunt, admodum acerbæ evadere.

Eadem phantaſiæ vis eo potiſſimum, quod ſomnum capiendum antecedit, tempore ſe exerit.

a) Conf. *Joh. Cleric.* Ontolog. Cap. VI. §. 4.

b) Quo ad Caini quoque voluntatem vincendam Diabolus abuſus eſt, ad horrendum, cum eum inſtigaret, fratricidium committendum. Ira enim Cain in agro atque in ſolitudine potiſſimum exarſit, fratrisque cæde manus impias maculavit. Vid. Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. *Joh. Franciſc. Buddei* p. 149. Conf. *Ambroſ.* de Cain & Abel L. II. Cap. VIII.

c) Hinc Medea, a conjuge ſuo derelicta, apud *Ovidium* Heroid. Epiſt. XIII. irrequietem ſuam hiſce queritur verbis:

Non mihi grata dies, noctes vigilantur amaræ,
Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt.
Quæ me non poſſum, potui ſopire draconem,
Utilior cuivis, quam mihi cura mea eſt.

§. IV.

Ceterum in determinanda ad hoc vel illud appetendum voluntate imaginatio a temperamentorum diverſitate dirigitur. a) Neque enim omnes eadem ratione imperii iſtius gravitatem ſentiunt, ſed cholerico e. g. præditi temperamento ad vitia, ſpirituum ſanguinisque craſi, huic temperamento

Multum etiam confert temperamentorum ratio.

propriæ, convenientia aguntur. Nec aliter de iis, quibus ſanguineum obtigit temperamentum atque melancholicum, cenſendum videtur. Quorum itaque in ſanguine particulæ igneæ atque oleaginoſæ reliquas multitudine antecellunt, eos vi phantaſiæ ita ferri in honores, dignitates, titulos &c. videas, ut nulla plane ratione coërcere interdum hunc impetum poſſint. Frequenter enim, quod eſt judicii illorum acumen, intelligunt, ingentibus ſe periculis, ſi quidem cupiditatibus hiſce frena ſint laxaturi, ſeipſos expoſituros. b) Namque invidia aliorum individuſus eſt dignitatum, tenuioris præſertim originis hominibus collatarum, comes. Quia aliis, ad eosdem honores adſpirantibus, nec voluntas illos peſſundandi, nec animus deeſt. Unde etiam ſæpenumero nuncii, nimio gloriæ aut honorum deſiderio mittendi, conſilium capiunt. Sed haud raro præter opinionem phantaſiæ, honorum faſtigia c) ac dignitatum ſplendorem jucundiſſima ſub ſpecie repræſentantis, vim rurſus ſentiunt, eaque abrepti poteſtate imaginativæ facultatis, rurſus eorum, quæ deteſtati fuerant, bonorum cupidine ſtimulantur. d)

Hinc (1) cholerici feruntur in bona decora ſæpe inviti.

a) Non enim tolerandus eſt Stoicorum, nil animum a corpore affici aſſerentium, error. De quo quid obſervandum ſit, ex diſſertat. Hiſtoriam doctrinæ de temperamentis hominum exhibente, quæ publici juris eſt Præſide *Joh. Franciſco Buddeo* facta, §. XXXIX. ſeqq. diſcere eſt. Integrum quoque librum *Galenus* concinnavit, quo, *animi mores corporis temperaturam ſequi*, demonſtratum ivit. Id quod nemo temere ſanam ſecutus rationem, inficias iverit. De cetero cum pro diverſitate temperamenti variet repræſentationis variorum objectorum in phantaſia modus, hæcq; ab illo pendeat, non inepte temperamento tribuitur, quod proxime a phantaſia procedit. Hinc commode *Carolus Otto Rechenbergius* in Inſtitut. Jurisprud. Natural. L. I. Tit. I. §. XIX. Temperamenta libertatem impedire voluntatis aſſeruit; & *Samuel Pufendorffius* L. I. Cap. IV. de Jure Nat. & Gent. Impetus aliqui, ex corporis conſtitutione orti, quo minus exiſtant, per voluntatem quandoque prohiberi non poſſe exiſtimat. Add. *Ejusd.* Libellus de Offic. Hom. & Civ. L. I. Cap. I. §. 12.

b) Alia

b) Alia hinc exſurgentia incommoda legi poſſunt L. VI. C. VI. Confeſſ. *Auguſtin.*

c) Externa enim imperii, honoris, dignitatis, laudis ſigna imaginatione facile exhiberi poſſe; licet ipſe honor, imperium &c. intellectu ſaltem percipiantur, oſtendit *Joh. Franc. Buddeus* Inſtit. Theol. Mor. P. I. Cap. I. Sect. VI. §. XVII. in not.

d) *Neſcit enim ambitio modum, nec intra modeſtiæ ac rationis limites, adde etiam pietatis cancellos coerceri poteſt;* uti recte ſtatuit *Thuanus* Hiſtor. Tom. I. L. XXIV. p. 737. De cetero hinc etiam colligere licet, nonnunquam in intellectum ſimul imperium illud exerceri. Homines enim cholerici pro ea, quæ cordi eorum inſidet, ambitione, præclara & eximia in diſciplinis variis præſtandi flagrant cupiditate. Unde ſæpius ad meditationes ſe conferunt, quo rei cujusvis indolem penitius introſpicere poſſint. Sed oleum ſæpe & operam perdunt. Non enim poſſunt eidem in longum rei inhærere ob vim ignis, qui in ipſis copioſus deprehenditur, utpote cui proprium eſt continuo celerrimoque motu cieri. Qua de re digna ſunt, quæ hîc legantur, verba *Crouſazii dans ſon Syſtème de Reflexions* P. I. Cap. V. §. VI. p. 37. extantia: *Le feu, qui les emporte, leur laiſſe rarement le tems de ſ' arreter ſur un ſujet, autant qu'il faut pour ſ'en former des idees bien exactes, & bien des choſes leur echappent, qu' une attention plus long tems appliquée auroit apperçûes.* Non equidem deſunt, qui exiſtimant, cholericos ad diuturnas ſatis idoneos eſſe meditationes, ſed hos temperamentum Cholericum cum Melancholico-Cholerico confundere, certum eſt. Imprimis autem hocce imperium in rationem imaginationis in ambitione inepta atque ſtolida conſpicitur, qua homines non ſatis mentis compotes ex rebus nullius momenti honorem captant. Vid. *Lehmann.* Chronic. Spir. L. V. Cap. XLVII. p. m. 433. *Herodian.* L. I. Cap. XVIII. ſeqq.

§. V.

Quorum autem ſanguis ſale volatili copioſo turget, illi imaginationis vi voluptatum inflammantur cupiditate. Non autem hic nobis ſermo eſt de quocunque oblectamentorum deſiderio, ſed de eo ſaltem, quod facultas imaginatrix per mo- **Idem ſangineis obtingit circa bona jucunda.**

modum coactionis, a) aut vehementioris aut paulo remiſſioris, ſeu, quæ forte, licet non ſine ſumma contentione, ac dimicatione ſuperari poterat, inducit. Id quod exemplo amoris impuri ac libidinoſi commodiſſime poteſt declarari; qui & intellectui caliginem obducit, b) & voluntati ideas jucundas nonnunquam invitæ ſiſtit. c) Vis autem iſta phantaſiæ eo vel maxime ſe exerit tempore, quo homines voluptatum accenſi ſtimulis, maximis, quæ eas comitantur, incommodis, v.g. contemtu, paupertate &c. experimento cognitis, compeſcere illos, eorumque excutere jugum inſtituunt. Id quod ſæpiſſime fieri, quotidiana quemvis edocet experientia. Iſtiusmodi enim homines exiguo quidem temporis intervallo continere pravos affectus poterunt: Sed, ubi præteritarum imagines voluptatum rurſus menti repræſentantur, novarumque, quæ percipi poſſint, ideæ adjiciuntur; Hæ tantopere mentem exagitant, ut viribus naturalibus hiſce obſiſtere inſultibus menti fiat ἀδύνατον, aut, nonniſi ſumma adhibita contentione, victoria obveniat. Ratio enim in iſtius generis hominibus parum habet roboris, ſed facillime nimiam eorum ob levitatem ſupprimitur, niſi ambitionis ſtimuli affectum illum reſtinguant. Hoc enim ſi fiat, facile externis eos actibus abſtinere poſſe, largimur. Ceterum in morbo quodam, quem, ſi viris inſit, ſalacitatem, ſi ſexui ſequiori, furorem uterinum d) medicorum filii appellant, malum iſtud præcipua quadam ratione conſpicitur.

quod ex amore impuro patet.

a) Lectu digna ſunt, quæ hac de re facit, verba *Hieron. Cardan.* L. XIII. de Subtilitate p. m. 402. *Plurimi, etiamſi nolint, amant: Coguntur enim amare, præſente pulchritudinis imagine non ſecus ac qui uruntur dolore. Neque enim vis imaginandi ex toto voluntati paret, nec, ſi pulchrum imagineris, liberum eſt, non amare.* Huc quoque referenda, quæ extant Hoſ. VII. 4. ſeqq. ubi homines adulteri fornaci, integra ardenti nocte, conferuntur. Neque enim ullam perſpicio, vocem נָאַף ad impropriam ſignificationem torquendi, neceſſitatem, uti viſum eſt *Auctori* der gründlichen Erläuterung der dunckeln Oerter H. Schrifft im 3ten Verſuch p. 185. Not. c. qui *Theophili Alethæi* nomen ſum-

ſit.

ſit. Licet nemini ſuam obtrudere ſe velle ſententiam ibidem profiteatur. Rem ipſam quod attinet, ſimile iſtud optime noſtro accommodari poteſt inſtituto. Nimirum fornax piſtoris, cui ignis eſt injectus, aliquamdiu clauſa tenetur, ſed paulo poſt adaperta flammam cuivis adeunti conſpiciendam præbet. Eadem ratione adulteri & ſcortatores intus corde premunt ignem cupiditatum; ſed tandem, quo minus in omnium prorumpat conſpectum, prohibere nequeunt. Si igitur ſunt, qui vehementiam horum inſultuum coercere poſſunt, ii demum pro veris Regibus, pro vere renatis æſtimandi: Αρχικώτατον γὰρ κρατεῖν τε ἡδονῶν, γαστρός τε καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα δεσπόζειν: Verba ſunt *Clement. Alexandr.* Pædag. L. II. Cap. X. Quorum autem facultates gratia non ſunt ſanctificatæ, illi, ſi rerum jucundarum repræſentatione phantaſia eorum delectatur, miſerrima ſunt amoris impuri mancipia. Scilicet

Libertas nulli jam reſtat amanti,
Nullus Liber erit, ſi quis amare volet.

Teſte *Propertio* L. II. Eleg. XVI. Magis emphatice ſervitutem amantium delineat *Tibullus* L. II. Eleg. IV. ita nectens verba:

Hic mihi ſervitium video, dominamque paratam,
Jam mihi libertas illa paterna vale.
Servitium ſed triſte datur, teneorque catenis,
Et nunquam miſero vincla remittit amor.
Et, ſeu quid merui, ſeu quid peccavimus, urit.
Uror, io remove ſæva puella faces.
O ego, ne poſſim tales ſentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis!
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quem vaſti tunderet unda maris.

Eadem imaginativæ vis, varias ſuſcipiendi actiones, ſervitutem quandam manifeſte prodentes, neceſſitatem amore captis imponit, quarum nonnullas depingit *Virgilius* L. IV. Æneid. hiſce utens verbis:

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori.

Huc etiam pertinet illud ejusdem *Virgilii* Eclog. VIII.

> Sævus amor docuit natorum ſanguine matrem
> Commaculare manus.

Præ ceteris autem notatu digna ſunt verba Cyri, quem *Xenophon* Hiſtor. de Inſtitut. Cyri. L. V. p. 116. ad juvenem quendam, qui voluntarium eſſe amoris affectum aſſeruerat, ſed paulo poſt eidem & ipſe ſuccubuerat, ſic verba facientem inducit: *πῶς, εἰ ἐθελούσιόν ἐστι τὸ ἐρασθῆναι, οὐ καὶ παύσασθαί ἐστιν, ὅταν τὶς βούληται. ἀλλ' ἐγὼ ἑώρακα καὶ κλαίοντας ὑπὸ λύπης δι' ἔρωτα, καὶ δουλεύοντάς γε τοῖς ἐρωμένοις, καὶ μάλα κακὸν νομίζοντας πρὶν γε ἐρᾷν τὸ δουλεύειν, καὶ διδόντάς γε πολλὰ, ὧν οὐ βέλτιον αὐτοῖς στέρεσθαι, καὶ εὐχομένους, ὥσπερ καὶ τινὸς ἄλλης νόσου ἀπαλλαγῆναι, καὶ οὐ δυναμένους μέν τοι ἀπαλλάττεσθαι, ἀλλὰ δεδεμένους ἰσχυροτέρᾳ τινὶ ἀνάγκῃ, ἢ εἰ σιδήρῳ ἐδέδεντο.*

b) Hinc certe eſt, quod multitudo incommodorum, ex libidinis veſania orientium, ingens ab inſtituto ſuo homines ejusmodi, mentis non amplius ſatis compotes, revocare nequeat. Qua de re præclare diſſerit *Chryſoſtomus* Hom. ad Pſ. XLII. v. 1. 2. *οἱ τὸν αἰσχρὸν*, dicens, *ἔρωτα φιλοῦντες, καὶ κόρης περικαιόμενοι πολλάκις εὐμόρφου τινὸς, καὶ πατέρων ἀπειλούντων καὶ φίλων ὀνειδιζόντων, καὶ ἑτέρων πολλῶν διαβαλλόντων, οὐδὲ ἐπιστρέφονται, ἀλλὰ πρὸς ἐκείνην εἰσὶ τετραμμένοι, καὶ οἰκία καταφρονοῦσι καὶ κλήρου πατρῴου, καὶ δόξης, καὶ εὐδοκιμήσεως, καὶ φίλων παραινέσεως.*

c) Graphice hanc imaginativæ vim depingit *Virgilius* L. IV. Æneid. ita canens.

> At Regina gravi jamdudum ſaucia cura,
> Vulnus alit venis, & cœco carpitur igni
> Multa viri virtus animo, multusque recurſat
> Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,
> Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.

Scilicet, ut *Lucretius* L. IV. ait:

> - - Si abeſt, quod ames: præſto ſimulacra tamen ſunt
> Illius, & nomen dulce obſervatur ad aures.

Invitæ Didoni Reginæ, de qua Virgilio eſt ſermo, hæc amoris tela fuiſſe infixa, ipſa ad ſororem, diſſimulans adhuc ardorem libidinis

libidinis inteſtinum converſa, hiſce docet verbis:

Si mihi non animo fixum immotumque ſederet,
Necui me vinclo vellem ſociare jugali,
Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Vid. & *Ovidius* Heroid. Epiſtol. VII.

d) Conf. *Chriſt. Joh. Langii* Diſſert. de animi commotionum vi medica §. LVI. ſub fin. qui ex Bartholino & Schenckio exempla hujus mali collegit. Apprime vero huc faciunt, quæ *Dan. Sennertus* in Pract. Medic. L. IV. P. II. Sect. III. Cap. V. de furore uterino in medium profert. Namque, *appetitus*, inquit, *naturalis ſenſitivum ſtimulat, qui, etſi a ratione corrigi & ſupprimi deberet, tamen cum ſit nimius, ratio ſuccumbit & vincitur, & delirium quaſi excitatur, ut fœminæ omnis honeſtatis oblitæ, obſcœna loquantur, appetant & faciant, imo quandoque etiam mortem ſibi ipſis afferant.* Conf. & Prax. Med. paulo ante laudati *Langii* Cap. XXIV. §. 15. *Ettmullerus* Oper. Tom. II. Pact. I. p. 956. ſeqq. *Ælian.* Var. Hiſtor. L. III. Cap. XLII. *Joh. Dolæus* Encyclop. Med. L. V. Cap. X.

§. VI.

Inter ea, quorum voluptatum cupidi deſiderio tenentur, ſunt etiam corporis alimenta, in quorum appetitum eandem imaginationis vim ſeſe extendere, quovis ferme die deprehendimus. Quod enim alii ab his, alii ab aliis cibis faſtidio alienentur; alii horum, alii illorum potulentorum ſuavitate ducantur: Id certe maximam partem ex phantaſia, his vel illis eſculentis, hisque vel illis potionibus, ſive jucunditatis ſive moleſtiæ ideam affigente, derivandum videtur. Quanam vero de cauſa ſub dulcedinis titulo alterum appetant, ſub ratione injucundi alterum averſentur homines, alimentorum genus, id non adeo difficile eſt explicatu. Quodſi enim mater alvo fœtum continens a certo ciborum genere refugiat, illud cum embryone etiam, ſicut alia plurima, de quibus deinceps, per ſanguinem & ſpiritus, quos ex corpore materno haurit, communicabitur. Sæpenumero quoque contingit, ut gravida vehementi alicujus cibi cupidine flagrans, ejus uſu defraudetur, id quod omnino fœtum quoque uterinum imagina-

Idem ſe exerit in appetitu alimentorum. Hinc alii appetunt, quod alii averſantur. Cauſa latet in imaginatione.

ginationis maternæ adminiculo, uſu docente, afficit. Non equidem ignoro, ad alterationem fermenti in ſtomacho pleroſque veterum hac in parte medicorum confugere. a) Sed neque hi ipſi explicuerunt, quo pacto alteratio illa fermenti ejusmodi faſtidium producat; neque omnino, quod tale in ventriculo fermentum exiſtat, prægnantibus probaverunt rationibus. b) Iſtis, quas dixi, cauſis aliam etiam accedere rationem poſſe, experientia cognitum eſt. Nimirum cum ſordes aliquæ in alimentorum quadam ſpecie repertæ ſunt, hæ duæ ideæ, cibi ſcilicet & ſordium in cerebro ſtatim conjunguntur & aſſociantur, Cum itaque recurrente idea cibi aut potus iſtius, idea ſordium eodem momento animo offeratur; ratio patet, quare ingens exinde averſatio naſcatur. c) Sed, ne quis forte hîc excipiat, nos, qui aliorum ſententiam ex eo potiſſimum capite rejiciamus, quod non explicet rationem, modumve, ſub quo omnia peragantur, ejusdem culpæ reos eſſe, qui imaginativæ facultati iſthæc quidem tribuamus, ſed qua ratione illa operetur, diſtincte non proponamus: Monendum hic nobis videtur, quodſi imaginandi vis ſub grati aut ingrati nomine aliquid appetitui offerat ſenſitivo, non poſſe non hunc illud aut appetere aut averſari. d) Si quis inſtet interrogando, in prægnantibus v. g. phantaſia quanam de cauſa cibos alioqui ingratos ſub ſpecie jucunditatis menti ſiſtat, illud equidem dictu haud adeo facile eſt. Niſi forte hæc placeat ſententia, quod, prout in toto corpore, ita & in phantaſia mulieris, in utero gerentis, inſignis contingat mutatio, atque hinc naſcatur ἀῤῥωστία quædam ſeu infirmitas judicii e) ob ſanguinis & ſpirituum animalium ſubtractam nimiam matri copiam, fœtus nutritioni deſtinatam; unde facile fieri queat, ut, quod prægnanti reliquum eſt ſpirituum ob paucitatem a novorum ſupervenientium, qui ex ſanguine jamjam in cerebro producti, in nervos influunt, copia in perverſum atque turbatum agatur motum, qui deinceps ipſum confundat appetitum ſenſitivum, eumque ad res ceteroquin moleſtas deſiderandas incitet.

a) Id quod ex *Sennerto, Fernelio, Platero*, aliisque plurimis nullo negotio probatum dare poſſem, niſi ſpatii, intra quod nos concluſimus, anguſtia obſtaret; brevitatique opera eſſet danda.

b) Qui enim vel primis labris rem deguſtarunt medicam, non ignorant, a recentiorum multis tale omnino negatum eſſe fermentum, quorum anteſignanum ſeſe præbuit *Archibaldus Pitearnus* Scotus, cujus opuſcula Medica tertia vice Roterodami edita recenſent *Memoires de Trevoux du Mois Nov.* 1714. p. 1982. ubi hac de re extat diſſertatio, communi fere philiatrorum applauſu excepta. Pitearni adverſarius *Aſtruc* quidam refutatus iterum eſt a *Thoma Boër* in Epiſtola ad Pitearnum data. Dehinc controverſia iſthæc fuit continuata. Confer. & *Journal Literaire* Tom. VI. P. I. ann. 1715. p. 231. Rem ipſam autem perſecuti ſunt præter alios *Georg. Erneſtus Stablius* Theor. Med P. I. Sect. III. p. 467. ſeqq. & *Georg. Philippus Nenter* Theor. Homin. Sani Cap. IV. M. IV. Art. II. Punct. III. §. 10. ſeqq.

c) Vid. *Carteſius* de Paſſion. Anim. P. I. Art. L.

d) Commode ergo *Arnoldus Geulincs* Ethic. Tr. II. §. 5. p. m. 267. *Perſuaſio*, inquit, *poteſt rem aliquam nobis jucundam reddere, quod ſæpe contingit in cibis.* Cujus rei exempla non addimus, cum aliunde nullo negotio peti poſſint. Nimirum ex *Caſp. Schotti Phyſic. Curioſ.* L. III. Cap. XXVI, & XXVII. *Sennerti Practic. Medic.* L. III. P. I. Sect. II. Cap. 3. qui horum quam plurima ex *Scaligero, Braſſavolo, Donato, Julio Alexandrino, Libavio, Platero, Weinrichio, Fabricio* &c. collegit. Confer. *Joh. Dolæus* Encyclop. Medic. Dogmat. L. V. Cap. VI. *Chriſt. Job. Langius* Diſſertat. de animi commotionum vi Medica §. LV. Ejusd. Prax. Medic. Cap. II. §. 3.

e) De conſenſu hic Georg. Wolffgangi Wedelii Patholog. Medic. Dogmat. Sect. III. Cap. II. p. 469. nobis gratulamur, ubi *commode*, inquit, *ſtatuimus immediatam cauſam ἀῤῥωςίαν τῆς διανόιας, ſeu debilitatem judicii in appetendo. Unde non reſiſtitur affectui & appetitui.* Et paucis interjectis ita pergit: *In reliquis hujus cenſus mens perſuaſa & inducta facile illuc fertur, quo fortius aurigans appetitus ſub idea læta & gratioſa ſibi hæc concipit. Valet enim & hic illud; Quisquis amat ranam, ranam putat*

eſſe Dianam. *Item: Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Scilicet judicii acumen debilitatur; ubi res quæpiam a phantaſia fortius ſub ratione grati imprimitur. Confer. *Joh. Hartmanni* Officin. Sanitat. Cap. XCVII. Præ reliquis legi meretur *Iſbrandus Diemerbröck* in Anatom. Corpor. Human. L. I. Cap. VI. p. 28. ſeqq.

§. VII.

Idem imperium imaginationis & in Melancholicis obſervatur.

De iis autem, quibus ſanguis terreſtrium mole particularum gravatus obtigit, obſervandum, nullius rei magis eos cæcari cupiditate, ad nihil majori cum impetu ferri, niſi ad ea, ex quibus ipſe illorum ſanguis coagmentatus eſt; nimirum terrena, aurum, argentum, aliaque ſub utilitatis ſpecioſo titulo vim imaginandi demulcentia. Horum repræſentatio usque eo ſæpe afficit voluntatem, ut, licet magna nitatur contentione, non poſſit tamen iſtam ſupprimere propenſionis vehementiam. Quoties enim hominibus pecuniæ ſitientibus evenit, ut inclinationis illius vanitas, pravitasque iis ad oculum demonſtretur, atque oſtendatur, cuncta, quæ per fas atque nefas corraſerint, conſumere ipſos non poſſe, ſed plurimam aliis partem eſſe ceſſura: Non opus eſſe magno ad hanc vitam ſuſtinendam apparatu: Hæc, quorum dulcedine capiantur, apparentia tantum eſſe bona, nec acquieſcere mentem horum poſſeſſione poſſe, ſed irrequiete, ſi hiſce asſidue inhæreat, perpetua illam volvi? Veruntamen fructu iſtiusmodi ſermones carent. Unde manifeſte rationis hac in parte cæcitas, atque imperium in eam phantaſiæ intelligitur. Voluntatis autem vel maxime imbecillitas hoc in hominum genere ſe prodit. Haud enim raro fieri aſſolet, ut opum avidi, amentia ſua perſpecta, ad meliorem redire frugem velint. Sed haud difficulter, vi imaginatrice impetum denuo in voluntatem faciente, ad eadem paulo poſt retrahi ſeſe vitia patiuntur. a)

a) Conf. Joſ. VII. 1. Coll. 21. Prorſus enim veriſimile videtur, Achani illi certam fuiſſe rem, legis divinæ Joſ. VI. 18. promulgatæ, metu, nihil ejus admittere, quod præcepto Dei eſſet prohibitum. Sed phantaſia pulchritudinem & pretium illius pallii, quod

quod oculis uſurpare datum erat, exaggerante, devictus eſt. Quo pacto auri dulcedine Judas proditor cæcatus, & ad incredibile facinus committendum compulſus ſit, S. Paginæ docent. Legantur magna illa rationum momenta, quibus revocare ab animi ſententia Judam Salvator benignus, ſed fruſtraneo conatu annitebatur. Matth. XXVI. 24. Marc. XIV. 21. Luc. XXII. 22. 22. Quibus tamen abſtrahi ab inſtituto, Domini ſui ſub amicitiæ atque oſculi titulo perfide prodendi, non potuit. *Avari* videlicet *eſt hominis*, teſte *Salluſtio* de Conjurat. Catilin. *aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere, amicitias, inimicitiasq; non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magisque vultum, quam ingenium bonum habere.* Digna ſunt, quæ hic notentur, verba, quibus execrandos avaritiæ effectus depingit *Juvenalis* Sat. XIII.

Eſt alius metuens, ne crimen pœna ſequatur.
Hic putat eſſe Deos, & pejerat, atque ita ſecum
Decernat, quodcunque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos
Et phthiſis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet.

Idem Satyra XIV. v. 173. ſeqq. inquit:

Nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Indomiti cenſus.

Quis hic vim phantaſiæ in intellectum pariter ac voluntatem non agnoſcat? Norunt enim, qui talia patrant, pœnam ſibi omnino imminere, neque tamen a ſe impetrare poſſunt, ut nuncium ejusmodi malis mittant. Sed ingeminare illud Horatii L. I. Epiſt. I. ſolent:

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt!
Virtus poſt nummos.

CAP. III.

DE IMPERIO IMAGINATIONIS IN SENSUS.

§. I.

Imperium imaginationis in ſenſibus quoque conſpicitur.

QUantum phantaſia noſtra ad turbanda animi facultatum officia momenti afferat, adhuc expoſitum eſt. Nunc diſquirere pergimus, quo pacto in ſenſus atque varios corporis motus vim ſuam exerat. Senſus igitur quod concernit, illud quidem in aprico eſt poſitum, interpretes eos eſſe ac nuncios rerum; ſed & hoc manifeſtum, ſenſus noſtros multo antecellere ſenſibus beſtiarum. a) Non tamen adeo ubique perfecti, non usque eo omnibus ſunt abſoluti numeris, ut quovis res quælibet tempore nobis ita repræſententur, prouti illæ reapſe habent. b) Sed motu ſæpius ſpirituum animalium impetuoſo obſtruuntur aut impediuntur, quo minus objectum nudum atque integrum exhibeant. Duplici autem potiſſimum ratione vis imaginandi in ſenſus agit. Nonnunquam enim, circa ideas rerum corporalium, naturalium &c. componendas, dividendas &c. mente intentius verſante, ſenſuum omnino uſus tollitur; ita quidem, ut ejusmodi ſpeculationibus dediti nec auribus, nec oculorum lumine quicquam percipianr. c) Eſt etiam, cum imagines, objecto in ſenſus incurrenti non reſpondentes, menti offeruntur; ſicque illa errores hac in parte varios ſæpenumero errat; idque phantaſiæ vitio, quæ aliquando res ſenſibus oblatas non rite repræſentat, quin & ea, quæ in ſenſus non cecidere, tanquam ab iis obſervata, ad mentem perfert, aut cum aliis ideis, olim in cerebro natis, novas confundit, & incommode connectit. d) Eadem videlicet ratione hic quoque res habet, ac in mentis ipſius imbecillitatibus. Hæc enim quoad objecta quædam caligine obducta eſt omnimoda, & inſumma eorum ignorantia verſatur. Sæpenumero autem contingit, ut rei alicujus ideas a genuina ejus indole alienas ſibi formet. Eundem fere in modum ſenſuum nunc uſus omnino ceſſat, nunc usque eo eſt depravatus, ut ſibi quis videatur ſenſibus quid

quorum uſus nonnunquam plane tollitur,

nonnunquam aliter, quam revera ſe habet, rem menti offerunt.

haud ſecus ac in ipſa mente.

quid obſervaſſe, quod tamen a vera longe ratione eſt remotum. De reliquo ſi verum eſt, quod Carteſius e) exiſtimat, animam eſſe, quæ ſentit, non corpus, in mentem utique, non in ſenſus vires phantaſiæ exerceri; neceſſe eſt. Sed, licet plurimum in ſenſuum exercitio anima ſibi noſtra vindicet: non tamen inde efficitur, corpori hoc in capite plane nihil tribuendum. Quin potius illud aſſerere auſim, corpori quam menti plus hac in parte adſcribendum eſſe.

a) Uti commode Romanæ parens eloquentiæ *Tullius* monet de Natura Deorum L. II.

b) Illuſtrare hæc cum mirifice poſſint *Crouſazii* Syſtem. de Reflex. P. I. Cap. IV. §. 11. p. 25. verba, ea huc transferri, operæ fuerit pretium: *Il eſt toûjours certain, que j'ai effectivement l' idée, que j'ai, & que j' apperçois, mais il n' eſt pas toûjours ſûr, qu' elle ſoit la juſte repreſentation de l' objet, qui l' a excitee.* Scilicet dum falluntur ſenſus eas revera ideas habemus, quas habemus, ſed ideis illis cum objecto, quod referre debebant, nonnunquam non convenit.

c) Exemplum hujus rei ſuppeditat Auguſtinus de civit. Dei L. 14. Cap. 23. ubi commemorat, fuiſſe, qui, quandocunque viſum illi fuerit, ſenſuum contrahere vela poſſet. Notatu etiam vel maxime dignum eſt illud *Archimedis, qui in ipſa Syracuſanæ urbis direptione ita defixus erat in ſtudio, ut prius hoſtilis gladii cuſpidem corpore exceperit, quam urbem in hoſtium poteſtatem veniſſe ſentiret. Effuſi tunc per vias milites, ut in quemque inciderant, ſine ullo ſexus, ætatis, ordinis diſcrimine obvios contrucidabant; undique gladiorum fulgor præſtringebat oculos; undique armorum ſonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia ſonabant; cum unius hominis mens in media civitate, civitatis ipſius caſum ac ruinam non ſentiebat.* Verba ſunt *Mureti* Orat. II. p. m. 17.

d) Conf. *Joh. Bohnii* Circulus Anatom. Phyſiolog. Progymnaſm. XXVIII. p. 385. *Fromondus* de Anima L. III. Cap. II. Art. III.

e) Dioptric. Cap. IV. Cujus præter ceteros ſententiæ ſubſcribit *Bergerus* Phyſiolog. Medic. Cap. XXIII. p. 327. ſeq.

§. II.

§. II.

Idque ſe exe- rit, ſpeciatim in viſu.

His ita in genere de perturbato ſenſuum munere præmiſſis, propius ad rem ipſam deſcendimus. Ac primo quidem, quantum ad viſum, haud raro eum in ejusmodi fraudem induci, ut homines, oculis ſuis hoc vel illud rei obverſatum eſſe, perſvaſum ſibi habeant, quod tamen reipſa oblatum non fuit, exploratum mihi eſt. a) Caſſa enim formidine occupati, ubi e. g. intelligunt, dari in locis abditis, intra ædes, hujus vel illius horæ ſpatio vagantia ſpectra; eademque inſidias hominibus ſtruere, ut, quacunque poſſint ratione, eos ludibriis lædant, quin & corporibus eorum vim inferant, & ea, in tenebris verſantibus, vel proprios intra parietes, cogitatio ſeſe offert; totus illico horrore animus concutietur. Phantaſia autem ſpeciem iſtiusmodi larvæ exaggerans, majorem ſubinde injicit terrorem, eousque, ut ubique illi exiſtiment extare ejusmodi ſpectra. Mente hunc in modum terroris iſtius impetu alienata ac turbata; finge, repræſentari oculis hominis territi rei cujusdam figuram, quæ utcunque externam ſpectri formam referre poterat; ſive columna quædam lunæ coruſcans paululum luce; ſive alius quidam ſplendor, aut inſignis oculis objecta nigredo fuerit; ita quidem, ut ſpectri illud albi pullive colorem atque ſtaturam præferre queat. Nonne confuſa imaginatrix facultas figuræ iſtius ideam adſciſcere poterit, additis, quæ objecto forſan illi deerant? b) Atque ita miſer iſte metu perculſus aliorum etiam phantaſias narratione hujus rei uſque eo conterrebit, ut & ipſi deinceps horum ſimilia, ejusdem farinæ rerum figuris oblatis, non poſſint non pati; id quod vel invitis quandoque accidit. Qui enim paulo emunctioris ſunt naſi, fidem iſtiusmodi aſſertis non adhibent. Neque tamen, ubi noctu in tenebris commorantur, quo minus eadem ipſorum menti ſe ingerat cogitatio, exiſtere forſan ejusmodi eo in loco malos genios, remoram ponere poſſunt, atque deinde eadem in fraudem ratione inducuntur. Hac de cetero ex cauſa Renatus Carteſius c) illuſiones iſtas profluere exiſtimat, quod vapores cerebrum pulſantes partes illius, quæ viſoni

Cum formidine homines ſunt occupati.

ratio hujus rei ex ſententia Carteſii

ſoni inſerviunt, eodem modo diſponant, quo ipſas, mediante oculo diſponerent objecta externa, ſi adeſſent. Sed cum hac ratione obſcurum per æque obſcurum declaretur, ac præterea ſuperſit quæſtio, quomodo vapores illi partes cerebri, viſioni inſervientes, ita diſponere poſſint; alia commodior explicatio erit inveſtiganda. Nos igitur, rem omnem hac facillime ratione enodari poſſe, cenſemus, ſi ſtatuamus, eam, quam quis hunc ſibi format in modum, imaginem, jam pridem menti firmiter metu prægreſſo infixam hæſiſſe. Hæc igitur, quavis data occaſione, ex latebris ſuis, quibus in cerebro tecta erat, prorumpet, mentique eodem, quo prius, vigore, ſe ſiſtet; alteram vero, ſibi utcunque reſpondentem, abſorbebit, &, quo minus animo exhibeatur, obſtaculo erit. Quod reliquum eſt, huic vitio vel maxime obnoxii ſunt homines Melancholici, ac pavore obruti, utpote in quibus vis imaginativa fortior deprehenditur. d) Nec excludendi hic ſunt ebrii, qui ſæpe ea videre ſe putant, quæ nunquam viderunt. e)

a) Huc referenda, quæ *Livius* L. XXII. Cap. I. tradita reliquit. Vid. & L. XXIV. C. X. ubi prodigiis viſus deluſionem præferentibus parum tribuere videtur: *Quo magis*, inquiens, *illa credebant ſimplices ac religioſi homines, eo etiam plura nunciabantur.* Add. *Plutarch.* in vit. Camill. p. 132. *Joſ. Trapp.* Prælection. Poetic. Vol. II. Prælect. IX. p. 27. ſeqq. *Robert. Flud.* Oper. Tom. II. Tr. I. S. I. L. X. C. II. Hac ratione, qui recentiori ætate apparitiones jactarunt varias, in fraudem incurrere potuerunt, de quibus *Phil. Jac. Speneri* judicium, *Latino*, ex Germanica explicatione Evang. Dominic. poſt circumciſ. Matth. II. 15. reddidit idiomate *Seckendorffius* Hiſtor. Lutheraniſmi p. 194. ubi inter alia hæc legere eſt verba: *Ii, qui talia putant ſibi contigiſſe, conſcientiam ſuam diligentiſſime explorare, &, qui narrari iſta audiunt, obſervare debent, ne in periculum incidant, arripiendi apparitionum loco propriæ phantaſiæ aut Diaboli, qui ſe in Angelum lucis transformare novit, figmenta. Major eſt phantaſiæ vis, quam putatur* &c. Add. B. *Joh. Gerhardi* Confeſſ. Cathol. L. I. P. II. Cap. XVII. *Muretus* Orat. X. deceptiones etiam alias opticas, huc trahit:

Phan-

Phantaſia, inquiens, *ſæpe fallitur, ut, cum in picturis eminere videntur, quæ plana ſunt, ut, cum remus in aqua inflexus videtur.* Sed cum animo rite omnia dirigenti ideæ hac ratione offerantur, & a radiorum refractione iſthæc pendere, modernorum plerique Phyſicorum magno conſenſu aſſerant, nos quoque virtuti imaginanti hæc tribuenda negamus. Vid. *Honor. Fabri* de hom. L. II. Prop. XCVI. *Joh. Chriſt. Sturm.* Phyſic. Erotem. Part. Specialiſſ. Sect. Prior. Cap. VII. & P. Gen. Sect. III. Cap. X. Diſputatio *Hambergeri* de Iride. *Honor. Fabr.* Tr. Phyſ. IV. L. III.

b) Hanc calculo ſuo ſententiam comprobat *Gerhard. Joh. Voſſius* L. I. Cap. VI. de Theol. Gent. Ubi, *ſubinde ſpectra*, inquit, *homines fingunt, quod ex metu nimio multis contingit. Unde mulieres & pueri & horum ſimiles eadem patiuntur.* Idque in nocturna potiſſimum ſolitudine evenire amat, uti recte monet *Valerius Flaccus* Argon. L. II. v. 37. ſeqq. Ubi hunc in modum iſta de re verba facit:

Auxerat hora metus jam ſe vertentis Olympi;
Ut faciem, raptosque ſimul montesque, locosque
Ex oculis, circumque graves videre tenebras.
Ipſa quies rerum, mundique ſilentia terrent,
Aſtraque & effuſis ſtellatus crinibus æther.
Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quieſcit,
Non oculis, noctisque metus niger auget utrinque
Campus, & occurrens umbris majoribus arbor.

Confer. *Caſp. Schottus* Phyſ. Curioſ. L. II. Cap. VI. §. 3. ſeqq. *Joh. Frider. Mayeri* Diſp. de præſagiis mortis p. 39. ubi ex *Lavatero* de Spectris p. 9. ejus rei teſtimonia profert. Haud pauca hujus generis exempla in medium affert, iisdemque mirifice capitur *Balthaſar Beckerus* Mund. Faſcinat. L. IV. Cap. III. p. 23. it. Cap. V. p. 37. ſeqq. alibique. Sed peſſimum in finem iſta congeſſit, ut nimirum exiſtentiam prorſus ſpectrorum negare poſſet. Nos, licet homines hac in re nonnunquam falli exiſtimemus, & *vigilantes quandoque tam vehementer ſibi quædam imaginari, ut putent, ea videre ſe aut ſentire in ſuo corpore, quamvis ei nullo modo inſint*, cum *Carteſio*, qui iſthanc ſententiam

am P. I. Art. XXVI. de Paſſ. Anim. profert, ſtatuamus: Non tamen inde inferimus, ſpectra exiſtere nulla.

c) Dioptrices Cap. VI. §. XVII.

d) *Subinde*, inquit, *Voſſius* l. c. *ſpectra homines fingunt Melancholici, quibus atra bilis imaginationem corrupit.* Hi enim præcipue affectu metus atque terroris agi antur. Notatu dignum eſt hac de re exemplum Bruti, a *Plutarcho* in ejus vita p. m. 1001. relatum. Scilicet hic volvens aliquid animo, cum ſibi viſus eſſet quendam cubiculum ingredientem ſentire, formam ſpectri cujusdam diri & horrendi corporis aſſiſtentis referentem, & poſteaquam ex eo eſt quæſitum, quisnam hominum aut Deorum eſſet, dicentem: Tuus ſum, Brute, malus genius, in Philippis me videbis: Idque Caſſio poſtridie narraſſet; hic ex Epicureorum placitis ſermonem orſus: *ἡμέτερος*, inquit, *οὗτος, ὦ Βροῦτε, λόγος, ὡς οὐ πάντα πάσχομεν ἀληθῶς, οὐδ᾽ ὁρῶμεν, ἀλλ᾽ ὑγρὸν μέντι χρῆμα, καὶ ἀπατηλὸν αἴσθησις; ἔτι δ᾽ ὀξυτέρα ἡ διάνοια κινεῖν αὐτὸ, καὶ μεταβάλλειν ἀπ᾽ οὐδενὸς ὑπάρχοντος ἐπὶ πᾶσαν ἰδέαν. κηρῷ μὲν γὰρ ἔοικεν ἡ τύπωσις, ψυχῆ δ᾽ ἀνθρώπου τὸ πλαττόμενον, καὶ τὸ πλάττον ἐχούσῃ, τὸ αὐτὸ ῥᾷστα ποικίλλειν αὐτὴν, καὶ σχηματίζειν δι᾽ ἑαυτῆς ὑπάρχει. δηλοῦσι δὲ αἱ κατὰ τοὺς ὕπνους τροπαὶ τῶν ὀνείρων, ἃς τρέπεται τὸ φανταστικὸν ἐξ ἀρχῆς βραχείας, παντοδαπὰ καὶ πάθη καὶ εἴδωλα γινομένων. κινεῖσθαι δ᾽ ἀεὶ πέφυκεν. κίνησις δ᾽ αὐτῷ, φαντασία τις καὶ νόησις.* Ceterum oratio Caſſii vel maxime confirmatur exinde, quod paulo ante domeſtici Bruti, in eodem haud dubie cubantes cubiculo, ab ipſo interrogati, neque ſe audiviſſe vocem aſſeruerint, neque oculis quicquam ſuis eſſe oblatum.

e) Qua de re eleganter *Clemens Alexandr.* in Pædag. p. m. 153. disſerit; *κινουμένη*, inquiens, *ὑπὸ τῆς τοῦ οἴνου θερμότητος ἡ ὄψις, πυκνότερον πολλαπλασίονα τοῦ ἑνὸς φαντάζεται τὴν οὐσίαν.* Idem obſervat *Hambergerus* Diſſert. de Opticis Oculorum vitiis, quæ extat in faſcic. Diſſ. Academ. p. 164.

§. III.

Neque vero audiendi facultas a deceptionibus atque fallaciis imaginativæ eſt immunis. Sæpenumero enim uſu venire ſolet, ut ſibi auribus quid percepiſſe videantur nonnul- (2) In auditu.

 li,

li, qui tamen nihil plane ejus acceperunt; a) aut aliud quid aures uſurpaſſe ſuas, ſibi perſvadeant, cum aliud in auribus eorum vibraret; aut denique imaginatione circa objectum aliquod intentius verſante, quod extrinſecus auditui offertur, non animadvertant. b) Hinc, quorum v. g. animos ſpectri alicujus, certo in loco commorantis, terror occupavit, ii facile, in tenebris ubi verſantur, aures illud, catenas trahens, ſuas verberare, ut putent, adducuntur: Quia ſpectri, ſecum vincula ferentis, imaginem ſuæ altius menti infixerant. Cui deinceps tantum accedere roboris poteſt impreſſioni, ut, reapſe ſonorum larvæ illius ingreſſum auribus ſe dignoviſſe, animum inducant ejusmodi homines. Unde commentorum de multitudine phantaſmatum nocturnorum nec finis nec modus eſt. Sæpe etiam aurium uſus usque eo depravatur, ut, aliud quid huic ſenſui cum oblatum eſt, aliud percipiatur. Ita qui, vix ſomno diſcuſſo, ad avtomati aures erigunt ſonum, haud raro pulſus percipiunt iteratos, adeoque ſextæ loco horæ decimam e. g. æs inſonare, aut quartæ vice octavam vel nonam, ſibi perſvadent: c) Id quod mihi ipſi aliquando obvenire memini. Rationem hujus determinare fallaciæ in proclivi eſſe videtur. Namque animales ſpiritus, quiete refecti, numeroque aucti, quo ſolvimur ſomno, tempore in ſenſus copioſius influunt. Quibusdam igitur halituum cerebrum verſus remeantibus ob motum in organo acuſtico excitatum, alii ex cerebro, ſopore jamjam relicto, cum occurrant, ad aures pergentes, hi itidem in eundem, quem ſpiritus jam commoti conceperunt, cientur motum, atque hac ratione ſimilem priori ſonum menti offerunt.

a) Huc pertinet, quod *Horatius* Epiſt. II. L. II. traditum reliquit, hunc in modum verba faciens:

> Fuit haud ignobilis Argis,
> Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
> In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.

b) Vid. *Gaſſendus* Tom. II. Oper. Sect. III. L. VIII. Cap. IV. p. 409. Spectantque huc, quæ *Libanius* Epiſt. LVII. de ſeipſo commemorat: οὐκ ᾔδειν, inquiens, ἀκριβῶς, ὅ, τι λέγοι, (ὁ υἱὸς) λύειν (τὴν

ἐπι

ἐπιστολὴν) ἐπιθυμῶν. Literæ ſcilicet amici, perorantes cum audiret juvenes, redditæ erant, quarum legendarum cupidine flagrans, non accurate, quæ dicebantur, percepit: Idea epiſtolæ, menti obverſantis, alias utcunque imagines, aurium adminiculo, aut ſaltem occaſione perceptionis per illas factæ, formandas, cohibente, quo minus animo rite repræſentarentur.

c) Hujus exempla deluſionis in medium *Balthaſar Beckerus* profert Mundi Faſcin. L. IV. p. m. 37.

§. IV.

Corruptioni aliud etiam quid phantaſiæ eſt aſſignandum; (3) In guſtu. nimirum; quod ſæpiſſime alium longe rerum guſtum, quam res ipſæ excitare & poterant & debebant, homines percipiant. Hoc autem iis potiſſimum obvenire ſolet, quibus bilis ineſt copioſior. Hæc enim, ubi in linguam ex ſtomacho & inteſtino duodeno, quod ex veſicula fellea, ad quodvis digeſtionis negotium perficiendum quandam ejus partem, interdum quoque nimiam copiam recipit, effunditur; papillæ nerveæ, guſtui in linguæ organo deſtinatæ, cum proxime particulis bilioſis tangantur, harum unice amaritudinem ſentiunt. Hinc & homines hoc laborantes vitio, queruntur, ſibique perſvadent; quicquid aſſumant ciborum, quicquid potulentorum capiant, id omne amaritudine eſſe infectum. a) Ex ejusdem in guſtum phantaſiæ vi illud etiam deducendum videtur, quod nonnullis ciborum quorundam gratus ſit guſtus; aliis eorundem ingrata ſit ciborum perceptio. b) Idque tum præcipue fieri amat; cum homines ſibi aliquid eſſe videntur, cui hic vel ille cibus jucunditatis ſe titulo commendet. c]

a) Hinc *Pufendorfius* de Jure Nat. & Gent. L. I. Cap. III. §. 3. *bilis*, ait, *linguæ ſuffuſa de ſaporibus recte judicare prohibet.* Conf. *Cæſar Cremoninus* de ſenſibus Tr. I. Lect. XI. & XIX. *Honoratus Fabri* Tr. Phyſ. IV. L. I. prop. XL.

b) *Honoratus Fabri* cauſam hujus rei in ipſa organi, ejusque fibrarum diſpoſitione latere exiſtimat, Tr. Phyſ. IV. L. I. Prop. XXXIX. Quod nos quidem libenter largimur, modo phantaſiæ non omnis omnino hac in parte operatio denegetur: Cum

utique homines tantum non ſemper ſibi perſuadeant, revera & abſolute ingratam e. g. eſſe illam guſtus perceptionem, quam alii jucundam eſſe judicant. Unde etiam haud raro hac de re homines inter ſe concertare videas. Conf. *Ejusd. Auctoris* Tr. de Homine L. II. Prop. LV. obſ. 6.

c) Huc pertinent, qui ſeipſos eſſe pertinaciter contendunt lupos, aut feras neſcio quas. Quorum cum Medicorum filii exempla referant, nobis hiſce quidem recenſendis ſuperſedere licebit. Ceterum ſpectare huc Nabuchodonoſoris Babyloniorum Regis morbum, judicat *Joh. Clericus* Pnevmatol. Sect. II. Cap. V. Quippe cum omnia hujus morbi ſymptomata hac ratione commodisſime explicari poſſe credat. Si enim fingas, Nabuchodonoſori eam a Deo fuiſſe inſitam perſuaſionem, ut bovem aut equum ſe revera eſſe non dubitaret; rationem reddi poſſe putat, cur ab hominum conſortio fuerit remotus, quare ſub rore cœli corpus ejus jacuerit, qua de cauſa humores omnes cœlitus delapſos lubens exceperit &c. Sed videtur omnino pro more ſuo ſupplicium a Deo de Nebucadnezare ſumtum extenuare ac frigidius interpretari. Saniora videntur, quæ *Jacobus Capellus* Hiſtor. Sacr. & Exotic. ad ann. Mund. 3428. p. 241. hiſce de iſto ſupplicio perhibet: *Modus captus noſtri modum ſuperat. Sit ſane Lycanthropiſmus, ſit Corybantiſmus, ſit furor Melancholicus, modo ſciamus, nec hominem reapſe in feram mutatum, ſed externam figuram, nec eſſentialem formæ mutationem illum ſuſcepiſſe, nec tale quicquam a maleficæ ſuperſtitionis hominibus, aut ab ipſo Satana præſtari poſſe, quale hic patravit Deus, demonſtrandæ potentiæ ſuæ & confundendæ Principum ſuperbientium inſolentiæ.*

§. V.

(4) in odoratu. De odoratu aliter pronunciare haud poſſumus, quam quod iisdem ſit expoſitus phantaſiæ fallaciis. Quoties enim uſu venit, ut aſpernentur alii certum odorum genus, alios mirifica id ipſum afficiat voluptate? alii alio capiantur odore, alii ab eodem alienentur? Cujus diverſitatis hæc videtur eſſe ratio, quod, cum odorem hunc primo quis percepit, idea cum eo quædam rei fuerit ingratæ v. g. conjuncta. Quæ deinde toties recurrit, quoties, quod odorem hunc olim diffudit,

dit,

dit, ſenſui olfactus offertur. Id quod nonniſi phantaſiæ, ideas copulantis, vi adſcribi poteſt. a) Sic e contrario, quando odori per ſe ingrato jucundæ imago rei jungitur, hæc illius moleſtiam abſorbet, odoremque ipſum ſvavitatis nomine commendat.

a) Digniſſimum eſt, quod hic referatur, exemplum, ab *Ettmullero* Oper. Tom. II. P. II. p. 117. commemoratum: Ubi, *eſt hic loci*, ait, *virgo delicata jam maritata, quæ aliquando a pharmacopæo polypragmone acceperat pulverem purgantem ex ſpeciebus Diaturb. cum Rhabarb. Ol. Cinnam. infectum; ubi quidem optime hæc purgata fuit. Interim ab illo tempore tantum a cinnamomi odore tædium contraxit, ex male affecto tunc ſtomacho, ut jam ne tantillum quidem ejus aſſumere & odorari queat.* Conferre etiam, cui libet, licet *Dan. Sennerti* Pract. Medic. P. III. Sect. IV. Cap. VI. *Salmuth.* Centur. 2. obſ. 63. *Honor. Fabri* Tr. IV. Phyſ. L. I. Prop. CIII.

§. VI.

Denique non prætermittenda ea eſt phantaſiæ fallacia, (5) in tactu. qua hominibus, ſe quippiam admodum moleſti, quod incredibilem incuſſerit terrorem, manibus contrectaſſe, fidem facit. Sunt enim, e. g. qui aranearum tanto exagitantur metu, ut, in tenebris ſi verſentur, quicquid in manus aut faciem incidit, araneam eſſe putent, totumque eorum corpus cohorreſcat; quando forte hujus generis quid paſſi ſunt. Haud quorſum referendus incubus. abſimili ratione, qui incubo aut ephialte opprimuntur, animalculum ſe quoddam, e. g. felem aut aliud quippiam manu contigiſſe, ejusque pilos attrectaſſe, ſibi perſvadent. a) Hinc igitur occaſione ducta diabolum, ejusmodi mentientem animalculum, præſto putant fuiſſe, corpusque ſuum usque eo preſſiſſe, ut nec movere membra, nec vocem edere poſſent. Id quod tanta illis phantaſiæ vi per quietem imprimitur, ut reipſa id ſibi obtigiſſe putent. Species autem iſtius rei, a qua urgeri ſe exiſtimant, iſtis videtur per ſomnum paulatim, ac velut ex inſidiis adrepere, lectum conſcendere, moxque iterum deſcendere. Atque hoc quidem tam alte phantaſia in corde figit; ut, licet, illud reipſa non incidiſſe, evidentibus de-

demonſtretur rationibus, vix tamen ut fidem illis adhibeant, adduci poſſint decepti. De cetero, quicquid hujus rei eſt, id omne dependet ab impedito paululum ſangvinis atque adeo difficili ex dextro cordis ventriculo in pulmones fluxu; vel, ut aliis videtur, a ſangvinis ex cerebro refluxu impedito, ob corporis planum ſitum, caputque reclinatum. Sangvis igitur refluxum in cor moliens, vaſaque ſangvinea diſtendens, onus quoddam a corpore ſuſtineri, homini nullo negotio perſuadebit: b) Phantaſia in locum imaginis difficilis iſtius motus, cum, quid peragatur, neſciat, ſubſtituente aliam gravitatis ideam, ſcilicet animalculi incumbentis, huicque imagini alia quædam ſuperaddente. Huc etiam ſpectant, quæ de tepore in cellis ſubterraneis hyemali quam æſtivo tempore majori, tactus ſenſu a phantaſia turbato, in animum inducunt quam plurimi. Nimirum in æſtate aër cellis iſtis contentus paulo frigidior externo: hybernis autem temporibus tepidior eo eſt. Hinc homines non ſatis cauti ab ſolute frigidiorem æſtiva quam hyemali tempeſtate aërem ſubterraneum eſſe collegerunt, intellectu in conſilium non vocato. c) Quod reliquum eſt, ex iis, quæ hactenus de turbato a phantaſia ſenſuum exercitio allata ſunt, non efficitur, veritatem ex ſenſibus demonſtrari nullam poſſe. Neque enim ſemper ſenſus phantaſia fallit; ſcriptura autem ſacra ipſa ad demonſtrationem ex ſenſibus ducendam provocat. d)

Cauſa ejus.

Tepor in cellis ſubterraneis.

His non obſtantibus, ex ſenſibus veritas demonſtrari poteſt.

a) Non poſſum, quin hic referam, cum mirifice ſcopo noſtro inſerviant, quæ *Caſpar Schottus* Phyſic. Curioſ. L. II. Cap. VI. p. m. 227. de ſeipſo in literas retulit: *Diebus*, inquiens, *præteritis, cum multa de ſpectris legerem, audirem, meditarer, poſt noctis medium, dum ſemiſopitus in lecto jaceo, videor audire felem ingredi cubiculum, lecto adrepere, tandemque adſcendere. Opprimor mox tanto pondere, ut nec vocem exprimere, nec brachia movere, tametſi ſummo conatu anniterer, poſſem. Paulo poſt perfecte evigilo, & errorem meum corrigo. Niſi perſpectum habuiſſem morbum, juraſſem a ſpectro felis ſpecie me oppreſſum.* Confer. *Sennertus* L. I. P. II. Cap. XXIX. Pract. Medic. *Ettmullerus* Oper. Medic. Tom. II. P. I. Sect. XIV. Cap. II. Art. III. *Petrus Gaſſendus* Phyſ. Sect. III. Membr. Poſter. L. VIII. C. VI. p. 419.

Rob.

Rob. Flud. Tom. II. Oper. Tr. I. S. I. L. X. Cap. 3. Aliique Scriptores rerum Phyſicarum atque Medicarum inferius citandi. Interdiu quoque nonnunquam in vigilantibus incubum oriri, obſervat *Etmullerus* L. C.

b) Vid. *Wedelius* Pathol. Med. Dogmat. Sect. III. Cap. X. p. 616.

c) Vid. Diſputat. *Hambergeri* de Frigore p. 298. Faſcic. Diſſ. Academ. Coll. Ration. hujus phænomeni 19. p. 347. & 348. Conf. *Cæſar Cremoninus* de Senſ. Tr. I. Lect. XXIII. P. III. *Honor. Fabri* de Homine L. II. Prop. L. III. qu. 12. 13.

d) Conf. Luc. I. 2. XXIV. 37. Joh. XX. 27. I. Joh. I. 1. 3. Vid. *Mich. Færtſchii* Progr. Inaugurale de Argumento a ſenſibus & Ratione petito in SSa. *Proelei* L. de Certitudine ſenſuum, rationis & fidei P. I. C. IV. Hinc recte *Zeno* Stoicorum Princeps & Anteſignanus comprehenſionem ſenſibus factam veram eſſe & fidelem docuit, obſervante *Thom. Stanlejo* Hiſt. Philoſ. p. 558. & 953. ſeqq. Alteri autem magis ſenſui quam alteri fidem eſſe habendam; præclare oſtendit *Goldaſtus* in Animadverſ. ad *Eginhartum* de vita Carol. M. p. 159. Edit. Noviſſ. Schminckian. De reliquo, licet multum phantaſiæ in ſenſuum exercitio tribui poſſit, non tamen hinc cum *Spinoza* Ethic. P. I. p. 38. inferendum, omnia ab imaginatione pendere; cum objectorum varietas, organorumque diverſa conformatio, & hinc orta motuum diverſitas, tantum non omne hic punctum ferant.

CAP. IV.
DE
IMPERIO IMAGINATIONIS IN VARIOS CORPORIS MOTUS.

DEnique in variis corporis motibus vis imaginandi ſeſe præcipua quadam ratione exerit. a) Ubi initio quidem obſervamus, nonnullos phantaſiæ ex imperio per ſomnum ſtrato ſurgere, atque mirabilia, quæ ne vigilantes quidem ſuſcepiſſent, peragere. b) Eodem lingvæ præcipitantia, maxima ſæpe in diſcrimina homines conjiciens, pertinet. Circa voces enim imaginandi facultas eſt occupata, quæ pro ratione

Phantaſiæ vis in corporis motus prodit ſe in noctambulis

linguæ præcipitantia.

tione idearum, quas fovet, verba lingvæ, quæ pronunciet, ſuggerit. Unde, quicquid hac in parte vitii eſt, id omne imaginationi eſt tribuendum. Videas autem ſæpe numero verba, neque prudentiæ, nec ſapientiæ quicquam ſpirantia, adeoque intellectu non rite prælucente, concepta; homines eructare. c) Hoc, cum in ſumma haud raro pericula homines arceſſat, vitium; d) ſingula orationis ſuæ verba, cum animo reputare ſæpe inſtituunt. Sed licet a primis huius conſilii initiis illud utcunque præſtent; Diutius tamen iſtud perficere nequeunt; ſed ſubito iterum inviti, phantaſia imperii reſumente habenas, a recto aberrant tramite. Lacrymis quoque continendis impar ſæpe eſt animus, eorum præcipue, quibus temperamentum obtigit ſangvineum, aut ſexus fœmineus. Ut enim non æque in hominis poteſtate poſitum eſt, elicere lacrymas, ac vultum componere ad triſtitiam: e) Ita nec coërceri lacrymarum fluxum, graviori a phantaſia malo repræſentato, conceſſum eſt; licet ſæpe pudoris aut alius rei cauſa, eas ut comprimamus, omnibus contendamus viribus. Cum enim in triſtitia voluntaria imagines mali moleſtæ ſpirituum animalium, a mente quaſi ablegatorum, ope ejusmodi in cerebro excitent motum, quo lympha, quæ circa oculorum confinia hæret, per puncta lacrymalia ad exteriorem oculorum partem protruditur; ſpiritus iſti motui huic aſſveti, ſimilibus oblatis imaginibus, eadem ratione lympham iſtam ſecernunt, ac per oculos elabi jubent; reluctante licet omni vi voluntate, cujus forte intererat, ejusmodi motum non produci. f) Idem de riſu pronunciandum videtur. g) In pollutione item nocturna tantum non omne punctum ferre phantaſiæ vim, in confeſſo eſt apud medicorum filios. h) Quantum etiam in morborum ſanatione imaginativa poſſit facultas, prolixe in medicorum ſcholis docetur. i) Eadem phantaſtica vis in contrahendis plurimum valet morbis. k) Vires idearum corporalium in fœtus formatione medicorum ſcripta exponunt. l) Denique vel ipſa mors imaginando nonnunquam acceleratur. m)

lacrymis exprimendis.

ratio hujus rei.

In riſu idem conſpicitur in pollutione nocturna in ſanatione morborum in contrahendis morbis in formatione fœtus. in acceleranda morte.

a) Conf.

a) Conf. *Thom. Fienus* de Viribus Imaginationis, Qu. V. ubi quæſtionem: an phantaſia corpus movere poſſit, fuſius perſequitur.

b) Otia nobis hoc in argumento fecerunt *Caſp. Schottus* Phyſ. Curioſ. L. III. Cap. XXII. §. 1. 2. *Dan. Sennert.* Pract. Medic. L. I. P. II. Cap. XIX. & Inſtit. Med. L. II. P. III. Sect. I. Cap. 7. nec non Sect. II. Cap. 4. *Libavius* L. de Noctambulis. *Georg. Wolffg. Wedel.* Phyſiol. Reform. Cap. XIV. p. 522. & Pathol. Med. Dogmat. Sect. III. Cap. X. p. 612. *Delrio* Diſquiſit. Magic. L. I. Cap. III. Qu. II.

c) Hinc *Theophraſtus* in Character. Ethic. præclare garrulitatem hunc in modum definit: *ἡ ἀδολεσχία ἐστὶ μὲν διήγησις λόγων μακρῶν, καὶ ἀπροβουλεύτων.* Cap. IV. Conf. Prov. XII. 18. XXIX. 20. Syr. XX. 21. XIX. 11. 12.

d) Namque, *ἐπισφαλὲς*, inquit *Epictetus* Enchirid. Ethici Cap. LV. *τὸ εἰς αἰσχρολογίαν προελθεῖν.* Eodem ſpectat illud Euripidis Hyppol. v. 395. ſeq. *Γλώσσῃ οὐδὲν πιστόν. αὐτὴ ὑφ' αὐτῆς πλεῖστα κέκτηται κακά.*

e) Teſte *Joh. Franc. Buddeo* Inſtitut. Theol. Mor. P. I. C. I. Sect. VI. §. XX. p. 289.

f) Exemplum certe omni exceptione majus extat Gen. XLII. 24. ubi Joſephum invitum lacrymas profudiſſe legimus, cum maximi referret, illud non fieri. Coactus enim eſt in locum ab hominum frequentia remotiorem ſecedere, ne quis aut fratrum aut Ægyptiorum lacrymantem videret. Ratio doloris ac triſtitiæ erat recordatio miſeræ illius conditionis, in qua, cum Midianitis venderetur, conſtitutus erat; id quod ex præcedentibus conſtat. Add. Gen. XLIII. 30. XLV. 1. 2. 1. Sam. XXIV. 17. Suo hoc quoque exemplo comprobat *Auguſtinus* Confeſſ. L. IX. Cap. XII.

g) Vid. I. F. *Buddei* Inſtit. Theol. Mor. L. C. p. 287. *Honoratus Fabri* de Hom. L. V. Propoſ. XLII. n. 8. 9.

h) Vid. *Wedel.* Diſſert. de Pollut. Nocturn. *Sennert.* Pract. Medic. L. III. P. IX. Sect. II. Cap. V. *Fromondus* de Anim. L. II. Cap. VI. *Joh. Dolæus* L. III. Cap. XV. Encyclopæd. Med. Dogmatic.

i) Digna ſunt, quæ huc transferantur, cum mirifice hoc argumentum illuſtrent, verba *Gerh. Joh. Voſſii* de Theolog. Gentil. L. I. Cap. VIII. ubi, *non diffiteor*, inquit, *magnam eſſe imaginativæ vim, ſed in ἀμέσως conjuncta. Cujus generis etiam eſt, ſi æger Mc-*

lancholicus aut ſimplex a Medico, nullam verborum vim credente, gnaro interea, quantum poſſit imaginatio, de mirifica verborum virtute perſuaſus valetudinem ſuam recuperet. Quanquam, addit, *non exiſtimem, pii ac prudentis Medici eſſe, ſic ægri credulitati illudere, cum ea res ſuperſtitionis periculo non careat.* Conſ. *Chriſt. Joh. Langii* Diſput. de animi commotionum vi medica §. LII. ſeqq. extans P. III. Oper. ejus Medic. Nec non Ejusd. Diſp. de Remediis Ant-odontalgicis §. XLVIII. XLIX. ibique allegati plures. Mira refert huc pertinentia *Ælius Spartianus* in vit. Adrian. Cap. XXV. De cetero quid immutatis phantaſia medicamentorum viribus ad ſanitatem reſtituendam conferre poſſit, exemplis quibusdam declarat *Joh. Bohnius* de Offic. Med. Duplic. P. I. Cap. XIV. p. 286. ſeq. Quantum item roboris confidentia in Medicum ad morbos expellendos habeat, Idem Hippocratis & Avicenn. Teſtimon. oſtendit P. I. Cap. IV. Id quod in Empiricorum praxi vel maxime locum habere, exponit P. I. Cap. III. vid. & *Joach. Camerarii* Hor. Subſeciv. Centur. 2. part. 12. *Thom. Fien.* L. C. Qu. XI.

k) Qua de re eleganter *Chryſoſtomus* Hom. de pœnit. & prec. ait: *ὀφθαλμοὺς πάσχοντας ἰδόντες τινὲς, μετέλαβον τοῦ νοσήματος ἀπὸ τῆς θέας μόνης.* Aſpectui autem in tali caſu ſeſe imaginationem vehementem jungere, nemini poteſt dubium eſſe. vid. & *Honor. Fabri* Tr. de Hom. L. V. prop. 49. *Thom. Fien.* L. C. Qu. X.

l) Huc præter alios referendi *Hieronym. Cardan.* L. XII. de Subtilit. *Caſpar Schott.* Phyſ. Curioſ. L. V. Cap. XXVIII. §. IV. *Gaſſend.* Phyſic. Sect. III. M. Poſt. L. IV. Cap. V. *Gerh. Joh. Voſſ.* de Theol. Gentil. L. I. Cap. VI. L. III. Cap. XXII. *Joach. Camerar.* Hor. Subſec. Cent. I. Cap. LIV. *Fromondus* de Anim. L. III. Cap. VIII. Art. VII. & ab hoc citati alii. Prolixus eſt in hoc argumento illuſtrando *Thomas Fienus* de Viribus Imaginationis a Quæſt. XIII. ad fin. Libr. Vid. *Balth. Becker.* Mund. Faſcin. Cap. V. L. IV. p. 43. In animalibus quoque, quod obiter addo, magnam eſſe imaginationis vim obſ. *Franzius* Hiſt. Animal. Cap. XLVIII. Vid. & *Petrus Gaſſendus* Oper. Tom. II. Sect. III. Phyſ. Membr. Poſt. L. VIII. Cap. V. *Thom. Fienus* L. C. Qu. XX. Qui huc refert Gen. XXX. 37. ſeqq.

CAP. V.

CAP. V.

DE SUBJECTO IMPERII IMAGINATIONIS.

§. I.

QUo pacto præcipuas mentis facultates ad obſequia nonnunquam ſua cogat vis imaginatrix, & quatenus imperio ejus corpus morem gerat, prolixius paulo adhuc deſcripſimus, ad eos nunc, quos potiſſimum phantaſiæ premit jugum, meditationem noſtram devoluturi. Inter quos præcipuum ſibi merito vindicant locum homines crapula graves, utpote quibus immodicus potulentorum uſus & intellectus & voluntatis legitimam eripit directionem, mentemque ſolio ſuo deturbat. Hinc nihil quicquam agere, nihil ſuis eructare ſermonibus eos videas, quod non imperium imaginationis ſingulari quadam in illis ratione ſe exerens, arguat. a) Unde & ad pactiones ineundas minus affecti in foro humano cenſentur, cum ad has imprimis conſenſus, legitimum rationis æque ac voluntatis uſum ſupponens, requiratur. De cetero per omnes imperii imaginationis partes hactenus recenſitas ſe diffundit hujus vitii effectus, quod prolixius oſtendere in proclivi foret; niſi hoc ab inſtituti noſtri ratione eſſet alienum.

Malis iſtiusmodi imprimis obnoxii ſunt (1) ebrii.

a) Huc haud inepte referas Eph. V. 18. ubi cum ebrietate conjunctam Apoſtolus dicit *ἀσωτίαν*; quam vocem ob inſignem Emphaſin Interpres Syrus ſuo accommodavit idiomati, *ἀσωτίαν* reddens voce ܐܣܘܛܘܬܐ. Videlicet *οὐ σώζουσι*, non ſervant ejusmodi homines, vini aut aliorum hujus generis potulentorum nimium ingurgitantes, rationis uſum, ſed eodem excidunt: atque e contrario phantaſiæ arbitrio ſe permittunt. Quorſum ſpectant, quæ *Chryſoſtomus* ad h. l. monet: *τοῦ οἴνου*, inquiens, *ἡ ἀμετρία θυμώδεις ποιεῖ, καὶ θρασεῖς, καὶ ἀκροσφαλεῖς, ὀργίλους καὶ χαλεπούς.* Et paucis interjectis: *οὐ σώζει, ἀλλ' ἀπόλλυσιν, οὐ τὸ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ψυχήν.* Proxime ad ejus ſententiam accedit *Autor Incertar. Tragœdiar.* quæ *Euripidis* operibus annecti ſolent, v. 422. ſeq. Cujus effatum hic notari meretur. Ita autem ille:

πᾶς

πᾶς οἰνωθεὶς ἀνὴρ,
ἥσσων μὲν ὀργῆς ἐςι, τȣ̃ δὲ νȣ̃ κενός.

Eodem ſpectat Dan. V. 1. ſeqq. ubi Belſazer vino gravatus eo tandem impudentiæ prolapſus fertur, ut vel ipſi ſummo Numini abuſu vaſorum templi Hieroſolymitani illudere, eaque peragere ſuſtineret, quæ ſobrius mentisque compos ſuſcipere auſus non eſſet. vid. v. 22. 23. Pertinet huc etiam Hoſ. VII. 5. & Jeſ. V. 11. ubi caloris ex vino concepti fit mentio, quo optime depingitur impetus ille ad quævis perpetranda mala, qui in crapulæ plenis conſpicitur; rationis luce extincta. Conf. *Salom. Glaſſii* Philolog. S. p. 641. & *Auctor* der gründlichen Erläuterung &c. cui *Theophili Alethæi* nomen arriſit. Licet B. Glaſſii interpretatio magis placeat, qui cum Tarnovio locum Hoſeæ ita vertit: *Tum morbo afficiunt (ſeipſos) Principes calore ex vino.* Namque הֶחֱלוּ non ſignificat, incipite, ſed ægrotare fecerunt ex חָלָה: ſcilicet tum alios, ad eandem invitando temulentiam, tum ſeipſos. Conf. *Flacii* Clavis Scriptur. S. P. I. p. 1305. Conciſe enim propheta loquitur ipſo largiente Alethæo. Emphatice verba hæc reddidit *Lutherus*: vom Wein tolle werden. Furoris etiam genuino appellat nomine ebrietatem idem Megalander *Lutherus* Commentar. in Joel. Cap. I. 5. *Qui tam graves*, inquiens, *Chriſti, Apoſtolorum, & Prophetarum conciones contemnunt, & indulgent huic furori, hos nemo judicet Chriſtianos eſſe.* Scilicet ut ira, ita & temulentia furor brevis eſt; quia per hanc æque ac per furorem mentis excutitur directio, quam phantaſia deinceps occupat. Add. Hoſ. IV. 11. Gen. XIX. 32. Hinc recte *Seneca* ait Epiſt. LXXXIII. *Non eſt animus in ſua poteſtate ebrietate devinctus.* Conf. *La Morale Chrêtienne par B. Pictet* Tom. VI. Cap. 13. Nimirum phantaſia temulentorum ab affluente ſpirituum animalium, quorum numerum potulenta nimium quantum augent, copia inflammata, quicquid voluntati offert, tantopere exaggerat, ut voluntas cæcum hunc impetum lubens ſequatur, ſanæque rationi nihil relinquat loci. Cujus hoc in caſu imbecillitatem optime delineat *Prudentius* Cathemer. Hymn. VII. hæc nectens verba:

Nam ſi licenter diffluens potu & cibo,

Jejuna

Jejuna rite membra non coerceas,
Sequitur, frequenti marcida oblectamine,
Scintilla mentis ut tepeſcat nobilis,
Animusque pigris ſtertat in præcordiis.

Eleganti utitur ad hoc argumentum illuſtrandum ſimili *Joh. Dolæus* Encyclopæd. Med. Dogmat. L. I. Cap. IV. *Ut in valida*, inquiens, *tempeſtate onuſtum mercibus navigium ſopito gubernatore, aut amiſſo clavo rectum tenere curſum non poteſt: Ita homo, obrutis vino ſenſibus, oppreſſaque mente, in ſtultitiæ ſcopulos detorquetur.* Conf. *Plutarchus* in vit. Artox. p. 1018. ſeq.

§. II.

In iis etiam, quorum mentem affectus vehementiores occuparunt, vis illa phantaſiæ manifeſte ſe prodit. Paſſiones enim, in quibus maximum phantaſtica facultas pondus habet, a) pleræque intellectui noſtro caliginem offundunt, & obſtaculo ſunt, quo minus ille in luce veritatis verſari poſſit. b) Quo facto, voluntas lumine deſtituta phantaſiam deteriora ſvadentem ſequitur, atque in transvorſum agitur. c) Hinc v. g. amore nonnulli in ea feruntur, quæ alii charitate indigna judicant. Quorſum nimium in canes, equos &c. quorundam ſtudium pertinet. d) Et, ſi vel maxime affectus ille circa legitimum verſetur objectum; modum tamen ſæpe excedit; phantaſia objectum amoris altius, quam par erat, imprimente. e) In ſpe rei deſideratæ jucunda repræſentatio lucem ita ſuffuratur rationi, ut hæc haud difficulter auferri illam poſſe ſtatuat; id quod tamen perarduum fuiſſe deinceps deprehenditur. Quantopere etiam metus atque terror mentem hominis perturbet, inhabilemque ad quasvis faciat actiones, manifeſtum & in aprico poſitum eſt. Cujus rei ratio non aliunde, quam ex vehementi imaginationis, objectum terribile ingenti repræſentantis impetu, impreſſione deduci poteſt. f) In iræ fervore phantaſia noſtra malum, quod ſumus perpeſſi, usque eo frequenter exaggerat, ut nihil ſanæ rationi relinquatur loci; g) ſed cæco impetu homines in vindictam ferantur; (quia imagines læſionem repræſentantes delere nequeunt; h) ſimulque ſeipſos nonnunquam ſummo

(2) Affectibus occupati.

e. g. amore.

ſpe.

metu.

ira.

vitæ periculo exponant. Affinis huic malo eſt effectus indignationis, i) niſi quod hæc ira langvidiorem habeat motum. Haud ſecus de immodica, quæ nonnunquam eorum, qui in conſpectum virorum auctoritate florentium prodire debent, animos torquet, verecundia pronunciandum videtur. Sæpenumero enim contingit, ut motus in corpore eorum haud parum vehemens, propoſitum iſthoc ſufflaminaturus, naſcatur; cui ſupprimendo non ſunt pares. Huc etiam ſpectat invidia, in qua extirpanda fruſtra homines naturales elaborant; licet maxima inde provenire mala haud ignorent. k) Atque eodem modo de reliquis etiam affectibus mentisque perturbationibus, quas brevitatis ſtudio tacitas hic relinquimus, eſt ſtatuendum.

indignatione

verecundia.

invidia.

a) Lucem huic ſententiæ affundunt verba B. *Picteti, dans ſa Morale Chrêtienne* L. I. Chap. XII. extantia, quæ hanc ob cauſam hic notari merentur. Hunc autem ille in modum: *L' imagination excite les mouvemens violens, qui mettent en fureur nos paſſions de ſorte, qu'il y a des paſſions, qui doivent a l' imagination toute leur force & tout leur emportement.* Hanc autem phantaſiæ in affectibus vim mirifice per conſuetudinem corroborari, recte obſervat *Ephraim Syrus* Oper. p. 90. Δεινή ἐςιν, inquiens, ἡ τῶν παθῶν συνήθεια, καὶ κακίςη, καὶ γὰρ δεσμέυει ὡς ἐν δεσμοῖς ἀλύτοις, τὴν ἔννοιαν.

b) Eleganter hoc exprimit *Seneca* de Ira L. I. Cap. VIII. hiſce uſus verbis: *Nihil eſt rationis, ubi ſemel affectus inductus eſt, jusque illi a voluntate noſtra datum eſt. Faciet de cetero, quantum volet, non quantum permiſeris.* Conf. *Tulden.* de Cognit. ſui L. II. Cap. XIX. *Voſſ.* Inſtit. Orator. L. II. C. I. §. II. Idem confirmant verba *Gregorii Nyſſeni* L. de Hom. Opific. Cap. XII. hunc concepta in modum: Ἐγὼ τὸ μὲν ἐπιταράττεσθαι πολλάκις πρὸς τὰς τῶν παθημάτων ἐπικρατήσεις τὸ διανοητικὸν τῆς ψυχῆς, ἀληθὲς εἶναι φημί. Hinc falſorum judiciorum numerus naſcitur infinitus. *Plura enim homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia &c. quam veritate.* Uti commode *M. Antonius* apud *Ciceronem* L. II de Oratore pronunciavit.

c) Conf. *Pierre du Moulin* Tr. De la Paix de l' Ame L. III. Cap. I.

d) Ex.

d) Exempla habent *Ælius Spartianus* in vit. Adriani Cap. XX. *Julius Capitolinus* in vita Veri. Cap. VI. *Ælius Lampridius* in Vit. Commod. Antonin. Cap. X.

e) Conf. *Aug. Buchner*, P. I. Epiſt. XCI. *Plutarch.* de Educat. Liberor. Cap. XIII. §. I.

f) Vid. I. Sam. XXVIII. 20. Dan. V. 6. Lectu digna ſunt, quæ hac de re in medium profert *Hirtius Panſa* Comment. de Bell. Alexandr. Ubi, *terror*, ait, *hominibus mentem conſiliumque eripit, & membra debilitat*. Conf. *Jul. Cæſar* de B. G. L. VII. Cap. XXVII. *Aventinus* Annal. Bojorum L. I. Cap. XII. p. 51. Chronic. *Carionis* L. II. p. 65. De cetero malum iſtud terroris panici nomine venire ſolet, quod, unde originem trahat, *Joachimus Langius* Medic. Ment. P. I. Period. III. M. I. §. VIII. docet. Voluntatem autem eundem affectum conturbare, invitisque ſæpe obverſari, Hobbeſii comprobat exemplum, qui ſenectute gravis ſpectra tantopere timuit, ut nullibi ſoli eſſe liceret homini, eorum exiſtentiam antehac inficiato. Vid. Summariſche Nachricht von auſſerleſenen Büchern der Thomaſiſchen Bibliothec. And. Stück p. 112. Hæc igitur paſſio cum mentis tranquillitatem evertat, haud inepte *Horatius*, veram felicitatem non virtutum ſolum ſtudio, ſed imprimis expulſione metus atque terroris acquiri: Hac enim demum peracta, veram animo quietem reſtitui, cenſuit, Epiſt. 2. L. II. ita canens:

> Non es avarus: abi: quid? cetera jam ſimul iſto
> Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
> Ambitione? caret mortis formidine & ira?
> Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
> Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides?

g) Mali hinc invicti nomen iræ *Curtius* imponit L. III. Cap. XII. 19. & Alexandrum iræ potentem non fuiſſe L. IV. Cap. II. 5. tradit. Id quod multis ille comprobavit documentis, præſertim Clyti, cui vitam ac ſalutem ſuam Rex debebat, cæde. Conf. L. VIII. Cap. I. 28. ſeqq. Sera facti hujus Regem ſubiit pœnitentia, referente eodem auctore Cap. II. L. VIII. quod intellectus atque voluntatis turbata arguit munia. Quicquid contradicat *Tatianus*, ſimulatam ratus fuiſſe triſtitiam Alexandr. M. ne in odium incur-

re-

reret amicorum; Orat. contra Græcos. p. m. 143. Nullo enim idoneo nititur fundamento. Namque Alexander, amicorum ſi reformidaviſſet odia; aliorum certe, majori fulgentium auctoritate; ut, Parmenionis &c. cædibus abſtinuiſſet. Conf. & *Juſtinus* L. XXXIX. Cap. III. & XII. Cap. VI. Commode ergo *Senec.* L. I, C. III. de Ira; hanc *inimicam* dicit *rationi*. Vid. & L. I. Cap. I. Add. *Xenophon* de re Equeſtri p. m. 941. *Ammian. Marcellin.* Rer. Geſtar. L. XXVIII. Legi quoque hic meretur *Manutii* Ep. I. L. III. locus, ubi; *Magna*, ait, *vis doloris eſt; Impellimur ſæpe longius, quam ratio concedat: & facta quæ ſunt, paulo poſt infecta fruſtra cupimus.* Idem confirmat *Gregor. Nazianzen.* Carmin. Jambic. XXI.

h) Qua de re ita *Herodianus* L. II. Cap. XI. τὰ δεινὰ τῶν ἔργων ἀεὶ μνημονεύεται, τὸ γὰρ λυπῆσαν, δυσεξάλειπτον.

i) De qua *Vellejus Paterculus* Hiſtor. L. II. Cap. LXVI. ita loquitur: *Cogit excedere propoſiti formam operis, erumpens animo & pectore indignatio.* Conf. *Ambroſius* de Offic. L. I. Cap. XXI.

k) Vid. *Sebaſt. Munſteri* Coſmograph. L. III. p. m. 742. Diſputat. de Mortibus Perſecutorum ſub Præſid. *Færtſchii* Jenæ habita §. 14.

§. III.

(3) in dormientibus.

In dormientibus quoque ingens facultatis imaginandi vis conſpicitur; utpote in quibus mens quaſi ſopita liberam imaginibus corporeis in cerebro oberrantibus actionem concedit. a) Unde ſingulares ſæpe harum effectus non ſine admiratione conſpiciuntur. Vehementiores enim haud raro ſomno ſepultos, quam vigilantes cruciant affectus. b) Eſt, cum e. g. ingens menti ex repræſentatione periculi imminentis a) incutitur terror, qui corpus ſæpe validius tentat, quam ſi vigilantes oppreſſiſſet. Ira quoque interdum fervida per ſomnum excitatur. Quando ſcilicet imago inimici nos læſuri aut lædentis obverſatur; manibus pedibusque obluctari, hoſtique ictus intentare ſomniantes cernas: ita quidem, ut, qui eodem utuntur lecto, ejusmodi vi perculſi, fuga ſibi conſulere cogantur. Nimirum cum repræſentatio illa per quietem facta tam vivida ſit, ut vel eam, quæ vigilantibus obvenire ſolet, adæquet. Idem motus, quem vigilantes, eodem ob-

jecto

jecto oblato, paſſi ſunt, mentis directione ceſſante; in corpore à ſpiritibus animalibus, iſtiusmodi actioni per conſvetudinem adaptatis, excitabitur.

a) Conſpirat hac in parte nobiſcum *Joh. Lockius* L. II. Cap. XIX. de Intell. Hum. *Somniare*, inquiens, *eſt percipere in animo, quæ non ab externis objectis aut nota quavis occaſione ſuggeruntur, neque NB. ſub ulla omnino electione aut gubernatione intellectus* Eundem in modum *Lucretius* L. IV. canit:

Mens ipſa jacet: languetque ſopore
Nec diſſentit, eum mortis lethique potitum,
Jam pridem, quem mens vivum ſe cernere credit.

Conf. *Gregor. Nyſſen.* L. de hominis opific. Cap. XIII. p. 75. ſeq.

b) Id quod eleganter depingit *Dan. Sennertus* Pr. Medic. L. I. P. II. Cap. III. p. m. 260. ubi, *inſomnia*, ait, *ſi immoderata, gravia & cum terrore ſint, ſpiritus exagitant, delaſſantque homines, ut excitati plus defatigationis, quam refectionis & refocillationis a ſomno percipiant.* Paucis interjectis ita pergit: *Subito terrore perculſi homines excitantur, &, ſi evigilare non poſſunt, in ſomno anxietatem ſummam percipiunt, corpusque varie jactant, præ angore ſudant, ut excitati ita laſſi ſint, acſi maximos ſuſtinuiſſent labores.* Confer. *Propert.* L. II. Eleg. XVIII. *Chriſtian. Joh. Langius* Prax. Med. Cap. XX. §. 3. Colleg. Caſ. ejusd. Auctor. Caſ. XXIV. *Plutarch.* in vit. Dionis p. 961. idem in vita Demetrii p. 901. alibique: *Suetonius* in vita Neronis §. 46.

c) Cujus varietatem carmini egregie depictam incluſit L. IV. ita locutus *Lucretius*:

Porro hominum mentes, magnis qui motibus edunt
Magna, itidem ſæpe in ſomnis faciuntque, geruntque.
Reges expugnant, capiuntur, prælia miſcent.
Tollunt clamorem; quaſi ſi jugulentur ibidem:
Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt:
Et quaſi phantheræ morſu ſævire leonis
Mandantur: Magnis clamoribus omnia complent,
Indicioque ſui fati perſæpe fuere:
Multi mortem obeunt: multi de montibus altis
Se quaſi præcipitent ad terram, corpore toto
Exterrentur.

 §. IV.

§. IV.

(4) in habituali diſpoſitione.

Singulari vero quadam ratione in iis, qui easdem ex imperio imaginationis obortas actiones ſemel iterumque repetiverunt, adeoque habitualem conſecuti ſunt diſpoſitionem, hæc phantaſiæ vis conſpicitur. a) In hiſce enim tantum nanciſcuntur imagines, quæ menti in cerebro offeruntur, roboris, ut nullo modo vel mens ſibi relicta vel voluntas reluctari, impetusque illos coërcere poſſit. Altera enim velut natura conſvetudo eſt, b) quæ viribus per crebram actionum earundem repetitionem aucta, omnem in hiſce libertatem, ſi non plane tollit, tamen mirifice debilitat atque infringit. Quod vel exinde patet, quia ſæpenumero homines ejusmodi varia mala, v. g. contemtum, paupertatem &c. contrahunt, neque tamen acquiſitum ſemel habitum vitioſum reſtingvere poſſunt. Hinc homines, vini dulcedine capti, licet contemtui omnium atque rerum quarumvis inopiæ ſe exponant; tamen ab iſto malo neutiquam revocari ſe patiuntur. Idem de impuritatum omni genere eſt pronunciandum. c) Habent hæ varia conjuncta mala, quibus, qui ſtudio ejusmodi ſcelerum ducuntur, ſeſe onerant. Nihilo tamen ſecius flagitia flagitiis tantiſper addunt ejus farinæ homines, dum pœna divina pariter ac humana eos perſequitur. Quod autem inviti ad iſtarum actionum pravitatem denuo admittendam trahantur, exinde manifeſtum eſt; quia certe norunt, pœnas horum ſe daturos ſcelerum graviſſimas, nec easdem evitandi occaſionem temere ſe oblaturam. Accedit, quod illi ipſi miſerrimi mortalium de periculoſa, in qua verſentur, conditione admoniti, ſæpenumero de malitia ac ingenti naturæ ſuæ robore conquerantur; velle quidem ſe abſtinere; ſed, ubi occaſio malorum præbeatur, in ſua hoc poteſtate ſitum non eſſe, affirmantes. Pœnitentiam quoque admisſorum haud raro ſeriam præ ſe ferunt. Sed impetu phantaſiæ denuo facto, in eadem recidunt mala. Poſſent equidem, ſi ſerio vellent, ardore precum eo tandem eniti, quorſum intendunt; quia apud Deum nihil ἀδύνατον. Sed eadem naturæ vis nonnunquam iis obſtat, quo minus devotas ad DEum

manus,

manus, cordaque elevent. Donec tandem verbi divini efficacia & Spiritus S. auxiliis ſublevati omnibus in id elaborant viribus, ac ſumma adhibita vi contendunt, ut radicatum in pectore habitum funditus eruant.

a) Idem ſentit *Crouſazius dans ſon Syſteme de Reflexions*, P. I. Cap. VI. §. IV. *La coutume*, inquiens, *agit ſur l' imagination, preſque au de la de ce, que l'on peut dire.* Vid. & §. VIII. Add. *Bergerus* Phyſiol. Medic. Cap. XXX. p. 435. ſeq.

b) Lectu digna ſunt, quibus hoc effatum exprimit, verba *Ciceronis* Ep. I. L. I. ad Quintum Fratr. *Difficile eſt, mutare animum, &, ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubito evellere.* Idem fuiſſe S. *Auguſtino* ſcopus videtur, cum L. I. qu. I. ad Simplicianum hæcce ederet verba: *Natura & conſuetudo conjuncta robuſtiſſimam faciunt & invictiſſimam cupiditatem.* Conf. *Pufendorf* de Jure Nat. & Gent. L. I. C. IV. §. 6. Ejusd. Lib. de Offic. hom. & civ. L. I. Cap. I. §. 12. *Carol. Ott. Rechenberg* in Inſtitut. Jurisprud. Natur. L. I. Tit. I. §. 21.

c) Suo hoc comprobat exemplo *S Auguſtinus* Confeſſ. L. VIII. Cap. V. ubi hiſce utitur verbis: *Ex voluntate perverſa facta eſt libido, &, dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, &, dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Eodem modo jurandi ſe habet conſuetudo, vid. Syr. XXIII. 9. ſeqq. quæ quidem inter initia cum imperio imaginationis nihil habet commercii, ſed, ubi ſedes ſuas in pectore fixit; ac phantaſia jurandi formulas aliunde apprehenſas ſubinde depromit, ore ediſſerendas; habitualis tandem diſpoſitio exinde gignitur, in qua vis imaginationis ſe vel maxime prodit. Namque in iſthac ideæ hujus generis crebo recurrunt, ac prius cum lingua, quam menti id inhibere licet, enunciandæ communicantur.

§. V.

Sunt & morborum quædam ſpecies, cum quibus, ſi quis conflictetur, uſus rationis æque ac voluntatis legitimus aut plane aut diſtinctis ſaltim intervallis tollitur: phantaſia autem omnem ſibi directionem, ſed abſonam ſæpe; imo & gravioribus non carentem periculis, vindicat. Quorſum deliriorum omne genus ſpectat, utpote quibus occupata phantaſia, ac viribus nimium aucta, eo tandem, ὡς ἔπος εἰπεῖν, impudentiæ (5) in morbis quibusdam.

 pro-

procedit, ut mentem imaginum oblatarum multitudine ſubinde turbet, atque, quo minus circa eas rite agere poſſit, obicem ponat. In quibus morbis explicandis cum prolixi ſint Æſculapii filii, nos quidem huic labori ſuperſedentes ad ſcriptores tantum præcipuos a] lectorem ablegabimus.

a) De deliriis varii generis egerunt ex inſtituto *Ettmullerus* Tom. II. Oper. Medic. P. I. p. 855. ſeqq. *Dan. Sennertus* Pract. Medic. L. I. P. II. Cap. VI. ſeqq. *Chriſt. Joh. Langius* Prax. Medic. Cap. IX. §. 3. ſeqq. *Georg Wolffgang. Wedelius* Patholog. Med. Dogmat. Sect. III. Cap. IX. & Exercitat. Semiotic. Pathologic. paſſim. *Joh. Dolæus* Encyclopæd. Med. Dogmat L. I. Cap II. ſeqq. De *Hydrophobia* peculiarem edidit tract. *Codronchus*, cui add. *Athanaſ. Kircher.* Mund. Subterran. Tom. II. Sect. II. Cap. V. Melancholiæ morbum expoſuerunt *Aretæus* L. de cauſis & ſignis morborum diuturn. L. I. Cap. V. *Ettmuller.* Colleg. Pract. Cap. IV. Artic. III. M. II. Add. *Jac. Raupii* Biblioth. Portatil. P. Pract. L. VIII. p. 553. ſeq. *Balduini* Commentar. ad II Cor. VII, p. m. 678. De phrenitide ſpeciatim nonnulla in medium profert *Cornel. Celſus* Medic. L. III. Cap. XVIII. ubi & de melancholia atque mania quædam addidit. Verſibus brevem, ſed emphaticam phrenitidis deſcriptionem incluſit *Q. Serenus* Tr. de Medic. De fatuitate conf. etiam licet *Joh. Lock.* de Intell. Hum. L. II. Cap. XI. & XIII. Ceterum hos morbos aut mentem directione ſua plane ſpoliare, aut certis diſtingui intervallis obſervat *Joh. Franc. Buddeus* Inſtitut. Theolog. Moral. P. I. Cap. I. Sect. V. §. VIII. Cujus obſervationis ſubjungit teſtem *Gerdeſium* de Enthuſiaſmo.

§. VI.

(6) in ætate puerili.

Ætatem quoque puerilem, uſu quippe rationis deſtitutam, vel maxime huic obnoxiam eſſe malo, facile eſt intellectu. Iis enim fere ſunt ſimiles ætate teneri ratione intellectus, qui per quietem hinc inde vagantes, ea peragere ſuſtinent, quæ vigilantes auſi nunquam fuiſſent. Scilicet infantes haud abſimili modo, quocunque phantaſiæ rapit impetus, feruntur, ſeque multis haud raro periculis exponunt; cum imminere diſcriminis quid, non intelligant. Iisdem omnia videntur ad veritatem accedere, quæcunque a vetulis pronunciantur; quia judicii deſtituuntur acumine. Quoad voluntatem

tatem, licet magnis pares non ſint ſceleribus perpetrandis, haud raro tamen vim in iis phantaſiæ agnoſcas a]Cuicunq;enim rei hæc jucunditatis affigit ideam, eam omni expetunt, quæruntque contentione; licet haud dubie pænas ſe daturos intelligant. Senſus quod attinet, ætate imbecilles longe pluribus, quam adultos deceptionibus expoſitos, uſus docet. Sæpiſſime enim evenit, ut hoc vel illud oculis auribusve ſe uſurpaſſe aſſerant; quod tamen factum non eſt. Atque ita quidem de reliquis huc ſpectantibus pronunciandum eſt rebus. De cetero ex eadem mentis hebetudine nimium ac inconſultum imitandi ſtudium ætati puerili familiare procedit. Quicquid enim ab aliis fieri vident, illico, ſi per ætatis rationem licet, imitantur; aut mente defixa iſthæc tantiſper tenent, dum annorum numero aucti, horum aut ſcelerum aut virtutum capacem nacti ſunt animum. b) Cumq; a teneris corporalibus tantum ideis asſueſcant, non ſatis quippe ob rationis deficientem uſum idonei, qui abſtractas forment: c] Ratio patet, cur hominum plebejorum per omnem vitam mentes nil fere, niſi materiales, naturales ac concretas fingere imagines poſſint; ita quidem, ut, quoties mentio rei ſpiritualis injicitur, toties imago rei corporeæ, cum illa qualemcunque habens cognationem, menti exhibeatur.

a) Digna ſunt, quæ hic legantur S. *Auguſtini* hac de re verba L. I. Confeſſ. Cap. VII. *An pro tempore*, dicentis, *etiam illa bona erant, flendo petere, etiam quod noxie daretur, indignari acriter non ſubjectis hominibus, liberis, & majoribus, hiſque, a quibus genitus eſt; multisque præterea prudentioribus, non ad nutum voluntatis obtemperantibus, feriendo nocere niti, quantum poteſt. Quia non obeditur imperiis, quibus pernicioſe obediretur.*

b) Huc non poſſum, quin transferam hæcce *Hieron. Cardan.* de Subtil. L. XI. verba: *Nutricem neque luſcam neque ebriam, neque ægram, neque pravorum morum elige; luſca luſcum efficiet infantem, non lacte, ſed intuitus conſuetudine; ebria convulſioni illum præparat, debilitatque, & ebrium ac intemperantem faciet; ægra ægrum, inſana inſanum.* Licet omnibus hiſce

aſſer-

aſſertis veritas ſua utrum conſtet, aliis dijudicandum relinquamus.

c) Cui ut obviam procederent malo Philoſophi priſci, Matheſeos ſtudium ætati huic commendarunt, ut hujus adminiculo abſtractos rerum formare conceptus addiſcerent. Qua de re notatu digna ſunt verba Pythagorici illius, quem ita ſe alloquentem in Dialog. cum Tryphone Judæo p. m. 219. *Juſtinus Martyr*, poſtquam ſe illum rogaſſe, ut literis animum ſuum imbueret, narraverat, facit: τὶ δαὶ μȣσικῆ, καὶ ἀςρονομία, καὶ γεωμετρία, ἢ δοκεῖς κατόψεσθαί τι τῶν εἰς εὐδαιμονίαν συντελȣ́ντων, εἰ μὴ ταῦτα πρῶτον διδαχθείης, ἃ τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν περισπάσει, καὶ τοῖς νοητοῖς αὐτὴν παρασκευάσει χρησίμην, ὥςε αὐτὸ κατιδεῖν τὸ καλὸν, καὶ αὐτὸ, ὅ ἐςιν ἀγαθόν.

S. D. G.